CASTIGATIO
CVIVSDAM CIRCVLATORIS, QVI R. P. ANDREAM EVDÆMONIOHANNEM CYDONIVM E SOCIETATE IESV seipsum nuncupat,

OPPOSITA IPSIVS CALumnijs in Epistolam ISAACI CASAVBONI *ad Frontonem Ducæum.*

Per IOHANNEM PRIDEAVX SS. Theologiæ Doctorem & Collegij *Exoniensis Rectorem.*

TIT. 1. 13.

Ἔλεγχε αὐτοὺς ἀποτόμως.

OXONIÆ,
Excudebat Iosephus Barnesius. 1614.

Bigot R S 14

REVERENDISSIMO IN *Christo Patri*, D. GEORGIO ABBATTO, *Archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ Primati & Metropolitæ, regiáq; Maiestati à secretioribus Consilijs.*

Reverendissime in Christo Pater,

IGnoscat (vt spero) Amplitudo tua, si sub tuis prodeat auspiciis quæ spiritum à te primò duxit, hæc *Endæmonis Castigatio*. Citiùs huic occurrere nõ potui, seriùs non debui. Ea enim est venalis huius Halophantæ emancipata vilitas, vt innotescat tantùm ex adversantium nominibus; idcóque impetit doctissimos, vt cùm illi tales sint, iste videatur aliquis, qui audet illos allatrare. Sic crescere prurit, vt anteà, ex venerandi *Elienſis*, & doctissimi *Fratris* tui, ita nunc ex celeberrimi *Casauboni*

ni famâ. Sed *fumus se dilatando evanescit*, (vt scitè [a] *Gregorius*) *nam vndè ostenditur vt sit, inde agitur vt nõ sit*. Cum alicubi vrgeat *Nilus Thessalonicensis Archiepiscopus*, plus *Petro* fuisse *concessum*, quàm *Papæ* debetur: *respondeo* (inquit [b] *Bellarminus*) *nihil hoc argumento aliud probari, quàm Nilum istum verè fuisse Græcum, id est levem, & garrulum*. Quid addidisset, si pro *Archiepiscopo*, *Quodlibetarium*, pro *Thessalonicensi*, legisset *Cretensem*? Constat igitur quàm *Romanenses* talem excuterent, si ipsos tàm petulanter incesseret. Sed veritatem comitatur candor: nec vtcunq; contemnendus *Cres*, negligenda erat *Casauboni* existimatio, tentata præsertim à tali calamo, qui tot decempedis subsidit infra ipsius ictum aut iram. Quare vt *Iudas* dixit *Simeoni*, [c] *Ascẽde mecũ in sorte mea, & pugna contra Chananæum, vt & ego pergam tecum in sorte tua*; sic mutuis annitendum est conatibus, ad fractas has *Laty* reliquias, & *fumantes titiones*, penitùs extinguendos. Nam licèt ascendant adhuc *Iesuitæ* (*Goliathi* instar) gressu grallatorio, & inflatis buccis, [d] *ad exprobrandã aciem Dei viventis*; exploret quis tamen penitiùs eorum

[a] Lib. 1 ep. 5

[b] Lib. 2 de Rom. Pontif. c. 12. § sexta obiectio.

[c] Iud. 1. 3.

[d] 1. Reg. cap. 17. 26.

eorũ castra (vt fecit *Gedeon Madianitarum*) & subaudiet forsan nonnullos, [e] *interpretantes Sociorũ somnia*, in *proprium interitũ*. Neq; verò humano hoc fit consilio, quòd sopitis quasi ceteris, de *primatu* & *Regum solijs* præcipuè lis incalescat; *absumenda* siquidem est [f] *meretrix* talium *odijs*, quos quis scit an sic irritari voluit *Deus*, vt eò celeriùs hoc perficiant?

[e] Iud 7.13.14.

[f] Apoc.17.16.

Papæ tempus erit magno cùm optaverit emptũ intactum hoc vlcus. Sed *pereuntium* est reluctari, *cadentium* & *desperantium*, frendere, & indignari. *Omnes Hæretici* (inquit [g] *Chemnitius*) *vel ex supercilioso Samosateni fastu, vel ex Arrii dialectica, vel ex Aëtij* ὀυγομάθεια, *prodire deprehenduntur*. Sed cõflatus ex hisce omnibus videtur hic *Gnosius Ichnobates*: nam vtcunque in humanioribus disciplinis, *Aëtio* vix apparet versatior; nescio tamen quibus fretus, & *Arrii logicam*, & *Samosateni typhum*, vbique præ se fert & venditat. Quem ego tamen sic fractum accepi & confossũ, cùm à ceteris nostris Theologis, tùm præcipuè à *studiorum meorum Auspice*, (quem Parentis loco habeo) *Fratre* tuo colendissimo, vt repetijsse erat

[g] Locor. Cõmun. Part. 1. Loc. 2.

refutaſſe; ita ſemper oberrat miſer eâdem chordâ. Te verò excitavit *deus* (Ampliſſime Præſul) tanquam *Aaronem* alterum, vnà cum *Hur*, ad *ſuſtentandas Moſis* noſtri *manus*, dùm alij in valle *Amalachitas* hos *perſequuntur*. [a] *Si paululùm remittantur manus, ſuperabit Amalec*; triumphabimus autem, ſi ſequantur inferiores, vt tu præceſſeris. *Phineæ zelus*, *Iehu ineeßus*, *Ioſiæ ſolicitudo*, aut hic aut nuſquam emineat. *Roma* vrtica eſt, vrit ſi molliùs tractetur. *Incaleſcant* modò hi *colubri*, ad Monarcharum ſocum, *donec vires ſuppetant*, & patet (vel in hoc tractatu) quid ab illis ſit expectandum. Sed committerem in bonos mores, ſi diutiùs tua morarer tẽpora. Hæc qualiſcunq; meæ opellæ levidenſis ſtrena, lucem non ferret, niſi tuo munita ſit patrocinio. Accipias igitur has (ſumme *Antiſtes*) ſolitâ vultus tui ſerenitate primitias; immaturas fateor, ſed indices obſervantis animi, qui obedientiam prætulit ſacrificio. Tuo juſſu coaluerunt, & tuâ (vnà cum authore) latére geſtiunt ſub clientela. Magnus *Paſtor* & *Epiſcopus animarum Ieſus Chriſtus*, Amplitudinem tuam, Eccleſiæ & Reipublicæ, lumen

[a] Exod 17,11.

men & columen', *Academiæ* verò noſtræ *Oxonienſis, dulce decus,* & *præſidium,* per plurima annorum curricula, diutiſſimè florentiſſimam ſoſpitet.

Oxon. è Collegio
Exonienſi 9. Cal.
Januarij.

Amplitudini Tuæ

devotiſſimus

JOHANNES PRIDEAUX.

AD LECTOREM.

ON pretereundus es à me (Lector Benevole) quia Ieſuita *te etiam in limine compellavit, vt delinitum in proœmio, in tractatu deluderet. Siquidem naturâ (vt videtur) verecundus, aut occupatus (vt conqueritur)* graviorib⁹ lucubrationibus, *invitus protruditur* ad hæc polemica. Quàm molliti ſunt hic ſermones ſuper oleum? *crederes hunc Ieſuitam innocuum eſſe animal.* Sed transfigurare ſe poteſt Satanas in Angelum lucis, *Cacodæmon in Eudæmona, reponitur igitur depexa iſta diſtinctio, inter* cauſam publicam, *&* dolorem privatum. Dolorem privatum *abſit vt* vlciſcatur; Caſaubono *enim non* ſuccenſet, gratias agit, vehementer avet vt de homine benè poſſit mereri. *O felicem Caſaubonum tali auctum Mecænate! Sed qui* ſummum *Chriſti* Vicarium, *qui* Catholicam Eccleſiam, *qui* ſocietatem illius, *hoc eſt* Papam, Romam, Ieſuitas *vel digitulo attigerit, heu quantâ de ſpe decidit! quantâ ex-*

Pſal. 54. 24.

2. Cor. 11. 14.

Vid. Cypr. de vnitat. Eccl. pag. 139.

Pag. 4.

f.

cidit gratiâ! nefas est homini religioso *talem ferre, aut* leniter cum eo agere; *nam tria premit vlcera, quæ non admittunt Chirurgum. Ridésne (Lector) vel indignaris te pro stipite aut fungo hìc haberi? ac si te fugeret, quis esset* Isaacus Casaubonus, *qualis etiam è contra* Reverendus Pater Andreas Eudæmon-Iohannes Cydonius è Societate Iesu, *tametsi ad vlnæ longitudinem porrigantur ipsius tituli. Mihi quidem videtur redactam esse ad incitas rem Pontificiam, & cõfectum propemodùm inter nos & illos negotium. Nam cum sublati sint è medio* Salmerones, Toleti, & Gregorij de Valentia *quos ex librorum mole æstimares doctos; cum flaccescat* Bellarminus, (*vt patet in* Torti Responsione, & Apologia) Suarez *infeliciter descendat à Metaphysicis ad practica,* Lessius *carpat particulas*, Lorinus *aliud agat,* Becanus *à* * *suis nõ probatur, reliquos cœpti pudeat,* Gretserus *convitiando* αὐτόδοντας *expuerit. sic vt* Græculus *restet præcipuè qui* Romanensibus *ferat suppetias: Quid hoc est aliud quàm (quod iamdudùm esset faciendum) manus dare? aut prostratis militibus, lyciscas nonnullos ad latrandum relinquere? eò scilicet devenit* lignorum suprematus, *vt sub talium* Rhamnorum *vmbra ridiculè iam tandem sit latendum. Iniquissimum ergò fuit, vt clarissimus* Casaubonus, *tam abiecto se opponeret homuncioni, qui rixatur solummodo, ne veritas audiatur. Nam quis non videt hoc istum vnicè agere, non vt* Casauboni *scriptum refelleret, sed vt lima-*

*Sphondrata, Bellarmino, Garzia, Verallo, Galamino. Capenio, qui controversiam ipsius Anglicanam contra Episc. Eliens. prohibuerũt donec corrigatur. Ian. 3. 1613.. Iud. 9.

matissimum scriptorem à magis seriis abduceret. Subolfecit proculdubiò, illum aliud moliri, quod duces potiùs frontonum, quam Frontonem Ducæum acriùs pungeret: nam pessimè ipsis metuũt de Augæo isto Baronij stabulo, ne prodeat tandem Hercules qui illud seriò purgaret. Hinc voces huius vpupæ, ne eruantur & frangantur tot mendaciorum ova. Mihi verò incumbit difficillima provincia, cui respondendum est tali, qui nescit aliquid opponere, nil tinnit solidi, protruditur tantùm, aut sponte prosilit, ne dicantur Iesuitæ omninò obmutescere. Quem postquam cassim & punctim millies confixerim, vix hilum (sat scio) proficiam. Quid enim dicerent ipsius symmystæ? Græculus est, Cretensis est, nunquam fuit aliquo apud nos pretio. Permissimus tantùm vt lectorem remoraretur, dum maturiores aliquid parturiant, quia pragmatico est ingenio, & expedito calamo. sic quemlibet proculdubiò excuterent, qui acriùs hoc spectrum insectaretur. Quapropter non expectet quispiam hunc refutatum, sicut gravem aliquem adversarium, sed vt circumforaneum quendam pellionem, qui theologiam haurit ex tabellionũ capsulis, vt singulis prodeat nundinis cum Mercurio-Gallobelgico. Si miretur quispiam cur præ ceteris, tam sollicitum illum habeat hæc nostra respublica, vt quærat quid hic agatur, in aula, in foro, in parliamento, quæ miracula hic eveniunt straminea, quid sentit Rex, quid consulunt Senatores, quid statuunt Iudices, quid scribunt Theologi, ac si

Oppoſition formee au nom de m. l' Archeueſque et du chapitre de l' egliſe de Thouloufe.

iſte eſſet ſucceſſor Garneti provincialis; *intelligat ipſius regulam non fixam eſſe* ſed ambulatoriam, *profeſſionem* quodlibeticam, *nec ita domi neceſſariam, quin foris effinat. Inſulanum autem inſulanos præcipuè oportet reſpicere,* Eudæmona *omnia cognoſcere, vt* Satanæ *eſt* circuire terram & eam perambulare. *Mihi verò nõ erit (vt ſpero) æqui vertat vitio, ſi pro merito hunc tractem aſperiùs; vt qui eruditat quod vult, ea quæ non vult, audiat. Inſultabunt etenim (vt rana trabi) huiuſmodi agyrtæ, ſi impunè ſemel ſit aut* Scioppijs *laceſſere* Scaligeros, *aut* Græculis Caſaubonos. *Nam vtcunq;* Michael diabolo non maledixerit, *conſtat tamen* Paulum, *coram* Paulo procouſule Bariesum *quendam appellaſſe* filium diaboli. Lenis fibilus qui equos mitigat, catulos inſtigat *(vt rectè in paſtorali* Gregorius *).Sunt & etiam inter* Pontificios, *vt* ſanctis Horti, Roſaria, prata, & virida i.. t i diſperſiones Dæmonum, flagella Dæmonum, fuga Satanæ, fuſtes Dæmonum, *à* Mengo *& ceteris delineantur.* Eudæmona *antẽ* Dæmona *quis eſſe negaverit? qui cum pergat indies diabolicè furere, & in quoſvis ſine diſcrimine tam licenter debacchari, cur non eſſet fuſtigandus, vt ſic fugaretur? Latrabit æternùm, hic virulentus* Semei, *ſi tacendo videamur cedere, nec aliquâ offâ obturetur eius gurgulio. Interim duriùs à me nil audiet, quàm quod exprimit illius petulantia, in uſtiſſima cauſa, & Caſauboni defenſione; nõrunt enim qui*

Iob.1.7.

Iudæ.9.

Act.13.6.10.

Vid. Theſaurum exorciſmor. atq; conjurationum terribil. &c. edit. Colon. 1608. et Mengi compend. artis exorciſt. Venet. 1601.

me

me nôrũt, quàm alienus ſemper fui ab acrioribus iſtis deleteriis: ſed quid facerem? Serium nihil occũrrit per integrum librum, niſi quod aliàs ſit ab ipſo ad nauſeam vſque tritum, & protritum nuper accepimus ab exercitationibus noſtris theologis. Quare aut tacendũ pœnè hic eſſet, aut cauſ lumnijs & mendacijs hoc modo occurrendum. Tu verò faveas (Benigne Lector) protracto iam primò in hanc arenam, non privatâ ambitione, ſed ſuperiorum iuſſu, qui volebant, vt Iunior aliquis & obſcurior, nugivendulum hunc dedolaret, ne aut ipſe nimiùm intumeſceret Caſauboniano *nomine, aut* Caſaubonus *diſtraheretur à cœptis laudationibus. Ipſe voti ero compos, ſi poſt Dei gloriã, Eccleſiæ, & Patriæ bonum, illud aſſequar, vt expeditior accedam ex hac velitatione ad arma magis decretoria, & intelligant ij, quibus meipſum debeo, quàm parùm, vt ipſis morem geram, propriæ exiſtimationi conſulo.*

D. Abbot. in Antilog. D. Collino. in Increpat M Burhullo in Reſponſ.

INDEX CAPITVM TOTIDEM *adversarij capitibus respondentium.*

Præfatio Casaubonum liberat ab objectis calumnijs, *Insciliæ, Arrogantiæ, perfidiæ, & assentationis.*

CAP. I.

Expenditur quæstionis status de Pontificis potestate.

CAP. II.

Argumenta utrinq; prolata examĕ subeunt.

CAP. III.

Peregrinatio instituitur Philosophica ad quasdam Stoicorum reliquias.

CAP. IIII.

Ribadeneiræ, Bonarscij, Bellarmini, Toleti sententiæ eventilantur.

CAP. V.

CAP. V.

Mariana, Emmanuel Sa, et Anonymus quidam Anglus in ſcenam prodeunt.

CAP. VI.

De Eudæmon-Iohanne.

CAP. VII.

De rebus Anglicanis ſparsim plurima repetuntur.

CAP. VIII.

Doctrina Garneti diſcutitur.

Notæ ad marginem indicant adverſarij paginas, vt facilior inſtituatur collatio.

AD PRÆFATIONEM.

QVOD expectandũ esset à *Græculo*, ad maledicendum ab *Italis* saginato; illud tu præstitisti (*Eudæmon*) in hoc procemio adversꝰ modestissimũ & doctissimum *Casaubonum*, idquè tam impudẽtèr & affabrè, vt certasse videatur ars & natura, an hæc in te virulentior, aut illa prostitutior. Nescio an omnes *Cretenses* sint adeò stomachosi, & cholerici, cautiùs tu egisses vt *Iesuita*, moderatiùs vt *Reverendus pater*, saltèm *Claudij Aquaviva*, aut *Tilmanni Vosmeri* causâ; quorum periclitatur judicium & prudentia, cum hujusmodi prostent gerræ sub eorum Chirographo. Vel reliquisses potiùs *Frontoni Ducæo* hanc sarciendam provinciã, viro, vel teste *Casaubono*, *eruditissimo*, vel te, *optimo*. Ille *Gallus*, ille læsus, ille *Casaubono* intimus, si quid subfuisset fraudis, optimè eruisset; hujus intererat *Apologistam* à se laudatum, rejectum verò à *Casaubono* acriter defendere, cujus fama & existimatio in causa luunt; qui expẽdisset missum

Facultatem cõcedimus vt typis mandetur.
Claudius Aq.
Typis mandet
Tilmannus V
merus ordin
us in diœcesi
loniensi lib
censor.

ad

ad *Casaubonum* libellum, quem tu *Græculo-latinus professor*, distractus *rebus Anglicanis*, & districtus *lucubrationibus scholasticis* inspicere vix forsan potuisses, aut Gallicè scriptum intelligere. *Frontoni* autem quã facile fuisset aut nota discutere, aut notum exagitare, qui tam
Pag 9. *fœdè* (vt tu conquereris) *violasset* amicitiam, si observasset in Epistola quod justè reprehenderet: verùm cum taceat is qui loqui debuit & potuit, obstrepat autem tua gravitas, à remo-
Pag. 96. tioribus (vt videtur) *Italiæ* oris, quæ quidvis emittit vt lautiùs prandeat, & omnium se admisceat rerumpublicarum negotijs; quid suspicabimur, *nisi Frontonem* pro *deprædicata* ista *modestia* veritati cessisse, te verò vel sponte prosilijsse, vel substitutum ab alijs, ob calumniandi artificium, non vt Causam attingeres, sed vt personam lancinares.

2 Quam quoniam exhausto pudore tam scurriliter hic inceptis, ac si non esset vlteriùs quod de existimatione perderes: age verò Rhabarbarum propinemus, vt evadas sedatior, forsitan non relegeris quæ scripseris, excidit (vt videtur) in paroxismo dæmoniaca ista præfatio, quam per dilucida (credo) intervalla in posterum vix agnosces. Repetam igitur vt erubescas, si tincturam admittat istam cretica complexio. Quatuor *Casaubono* impinguntur, quæ in titulo distinctè proposita, in tractatu vertiginosè commiscentur, *Insciti*a, *arrogãtia*, *perfidia*, & *assentatio*: quibus singulis partitè, nõ Ie-

Ieſuitica aliqua tergiverſatio, ſed ſimplex rerũ narratio, & collatio, abundè ſatisfaciet.

2 Nam de amicitia quod ingeris in limine, tã *fœde violata* & *prodita*, de *lacerato Frontone*, *barbarâ quadam immanitate*, & ſimilia; præmonent tantum quàm veridicum te in ſequentib⁹ experiemur. Conferatur enim ad paginã vſque nonam *Caſauboni* præfatio, *Frontonem* vt *virum eruditiſſimum* in ipſa fronte compellat epiſtolæ, *Doctiſſimum* pag. 3. *Intelligentem & perſpicacem*, pag. 4. *amiciſſimum*, pag. 5. *optimũ*, *mitem*, *moderatum*, *manſuetum*, *publicæ tranquillitatis ſtudioſum*, pag 6. *Subditum* εἰλοξανλία (inauditum Ieſuitæ epitheton) *alijs multò æquiorem piè & liberè iudicantem*, pag. 7. *Me vt ſimplici* (inquit) *animo hæc ad te ſcriberem, non odium aliquod impulit, aut obtrectandi cupiam prurigo, ſed illa ipſa, quam dixi, epiſtola, petitióque tua, ab optima quidem (credo) voluntate profecta.* Spirat quævis ſyllaba (vtcunque intempeſtivè adhibitam) *Caſauboni* modeſtiam. Et hoc eſt tandem tibi *amicitiam fœdè violare*, & *virum optimum inhumaniter lacerare*? An tales ſperabas lectores, quos hujuſmodi conciliarent exordia? Cur tot paginas tranſilis, verba non indicas? Vnde conſtaret nobis *Caſauboni Barbara iſta immanitas*? Sed ſpecimẽ nobis exhibes fidei Creticæ, quam in ceteris etiã ſcriptis, ad amuſſim præſtas. Hãc ſpe (vt videtur) erectus, *incarceratos* eſſe noſtrorum apud vos *libellos*, ne ex ſola collatione periculum immine-

Pag 9. Caſaubonus non infidus.

Everard. Britan. rom. c. 1.

neret: nisi forte eò rem deducas, vt qui sutelas vestras *Ignatianas* significet se aversari, reus confestim teneretur *violatæ amicitiæ*, & *barbaræ* nescio cujus *immanitatis*, quæ quam bellè cohærent, animadvertant *Scholastici*. Interim nos expectamus Elephantinos illorũ partus, qui *Casauboni errata* in *omni disciplinarum genere* in apricum proferant.

Pag. 10.

4 Quo quidem in loco novitijs tantũ imponis, qui nesciunt quid sunt disciplinæ; qui verò per transennam asspexerint elegantiores musas, dùm *Casauboni* admirentur perspicacissimam industriam, exibilabunt tuam infrunitã impudentiam. Accusatus (ni fallor) *Sophocles*, vt læsi cerebri, exhibuit judicibus compositam à se tragœdiam, & quęsivit an istud desipientis esset opus: haud alia est nostra defensio, aperiantur tantùm libri (quanquam non opus est, vt omnia quę teneat quispiam *Iesuiticè* statim effutiat) sed quid hactenus præstiterit attendamus. Nisi verò impudentiæ litaveris, agnosces stuporem tuum. Atque vt *Theocritum*, *Diogenem Laertium*, vt αὐτοχεδίασματα seponã, quæ cũ huic quasi aliud agenti exciderint, ineluctabile tui similibus facesserent negotium. Quid *Athenæus* tam accuratè emaculatus, & reconditis animadversionibus illustratus, an tibi videtur puri puti *Grammatici* & *disciplinarum omnium expertis*, contemnenda elucrubatio? In eodem censu habemus *Dionysium Halicarnassæum*, *Polyænum*, *Polybium*, *Spartianũ*, *Dio-*

Non imperitus.

Cicero de senectute.

Dionem Chryſoſtomum, Æneã Veterem ſcriptorem è tenebris erutum, & quamplures alios, qui præter exactiſſimam Græcæ linguæ cognitionem, acerrimum iudicium, lectionẽ multiplicem, indefeſſam induſtriam, temporum & vniverſæ hiſtoriæ expenſam ſeriem, non perfunctoriam aliquam in diſciplinis, ſed accuratiorem exigunt ſcientiam. Quę tu tam imperitè carpis, quia non capis, nunquam incidit tibi cogitatio, quid ſit *authorum* ad minus *trecentorum* in vno volumine difficillimos expedire nodos. Experire tu an *Lexica* & *Theſauri* ferent ſuppetias, vt ſimile quiddam à te habeamus; an *Theophraſtum* ſic exhibeas limatum, ex *Lexicis* tantùm & *Theſauris*; num *Lexica* & *Theſauri* ſuppeditent *Strabonem Geographum* tam eleganter latinitate donatum, tot locis reſtitutum è reconditis antiquitatis myrothecis, & mirabimur tum fortaſſe tuum artificium. Idem dici poteſt de *Gregorij Nyſſeni Epiſtola*, & alterius *Gregorii Thaumaturgi* de *Origene*, oratione: quæ vtcunq; græca ſunt & *non deterioris ſeculi*, Græculo tamen inter latinos educato barbarum quiddam ſonant, & planè Turcicum. *Perſium* tantùm aut *Suetonium* (quem meliùs intellexerit) viderit: in quo cum plus ſit præſtitum quam *prædicabiliſta* expectaret; argumentatur vir acutus, pro ſuo more. *Suetonium illuſtravit Caſaubonus*, ergo *nil ſapit vlterius*; *intelligit nonnihil è vitis Cæſarum*, ergo *nihil ipſi conſtat de rebus Ieſuiticis*. Gramma-

In Athan. Pag 11.

Pag 11.

maticus habeatur non malus quem possint alij reprehendere, ergo est Sutor vltra crepidam. *Pistacus qui negat as sequitur voces, repentè doctus nostra verba conari*, hoc est, iam primum ad Theologica animum appulerit: ac si ineptus esset *Delrius* ad *Genesin* aut *Cantica interpretanda*, quia *Senecam Poetam* exposuerit; aut inutiles *Bellarminus* & *Gresserus* ad controversias discutiendas, quia hic *Hebraicam*, ille *Græcam* nobis obtrusit *Grammaticam*; vel excluſi jam maneant *Pontanus*, *de la Cerda*, *Raderus* (vt alios taceam) à castris tuis Theologicis, quia *Ovidio*, *Virgilio*, *Martiali* spissioribus suis commentarijs lucem attulerunt. Quod quâ æquo ferant animo nõ mali *isti Critici*, expendat tua Dialectica. Iam verò, si aliquis regeret *Eudæmon-Iohannes* destinatus *Philosophicis* & *Scholasticis*, non ita commodè vacaverit terumpublicarum negotiis: Annon proprio capistro fauces tuas premeret, & extra oleas palantem non multò justiùs te corriperet? Quod si nil sapiat *Casaubonus* vltra *Grammaticorum castra*, quid venerit tot doctis in mentem vt tanti illum facerent? tot Eulogijs publicè ornarent? cur *Pontificij* etiam tui, non circulatores isti *seculares*, sed *Iesuitæ*, sed *Cardinales*, tanquam virum vndiquaq; doctissimum *literis* illum compellârunt? Cur amplissimo stipendio conduxissent, vt apud *Romanenses* tuos Professorem ageret, si tam expers sit *omnium disciplinarum vt eius errata cuivis pateant*?

Serravius, *Cardulum*, *Schottum*. *Causcum*, *&c.* vid. Goldast. replicat. contra Gretſ. c. 5. Pag 96.

ant ? Ita credo acciviſſet Genevę *Henricus Magnus* purum putum *Grammaticum*, diſſentientem in rebus fidei, Bibliothecæ præfeciſſet regiæ, ſtipendio auxiſſet ampliſſimo, arbitrum conſtituiſſet inter colluctãtiũ *duo celeberrima* (idque in Rebus Theologicis) totius *Galliæ ingenia*, ſi in *omni diſciplinarum genere* patuiſſet ejus *inſcitia*. Vt de noſtro *Rege Seren iſſimo* nil attexam, ignaris forſitàn ille & ignotis confert ſtipendia, & *Canonicatus*. Non poteſt per ſe, nõ habet è ſuis, qui poſſint peritum ab imperito ſecernere: opinione igitur, non merito, hucvſque crevit *Caſaubonus*. O ignea Ignatianorũ ingenia! quàm expeditè eruunt, quæ alij non penetrant! *Grammatici imperiti* verſutias, *Cardinales*, *Doctores*, *Reges*, *Reſpublica*, poſt edita tanto temporis ſpacio, tot ingenij ſpecimina, non habuere compertas,

Pleſſeum; Perronium. Boter. de reb. Gall. Tom 2. l. 7. p. 524. edi. Paris. 1610.

Clericus Andreas ſed capiebat eas.

5 Sequitur altera pars *inſcitiæ Caſaubonianæ*, quæ (te cenſore) admiſtam complectitur arrogantiam. Stylus ſcilicet non arridet, quia *Græca* interponit, *abſoleta* revocat, *vivax* nihil aut *ingenioſum*, *nihil cõcinnum* aut elegans, *creticis* tuis auribus exhibet; quæ vtcunque eſſent veriſſima, non video tamen cur paterna tua gravitas *Scholaſticis* aſſueta, & abſorpta (vt par eſt) à ſpeculationibus, ad minutias iſtas pueriles aliorſum diverteret. Numquid *Scotus Thomæ*, aut *Caietanus Scoto*, aut *Occamus Halenſi*, vel *Durandus* iſtis quos refellit, in tot ſub-

Pag. 12. 13. Nõ arrogans.

ſubtilitatibus eventilandis de ſtylo litem intendit? Credideram ego Philoſophos, dum exprimere potuiſſent, quod volebant, de elegantijs fuiſſe parùm ſollicitos. *Ad rerum non pertinet cognitorem* (inquit *Auguſtinus*) *vtrum inter homines, an inter hominibus dicatur*; & *Scholaſticorum argumentorum vim* (Author eſt veſter *Bannes*) *dictionis enervat mollities*, vnde in *Cano* præceptore ſuo affectatam reprehendit ſuavitatem. Tibi verò cum vngues creverint, & vacet *Ariſtarchum* agere, non video etiam cur *Graculo græca* parerent nauſeã; niſi fortè citiùs, quàm par erat, ablactatus à lingua vernacula, & latinis penitùs immerſus, indignaris iſta intervenire, quæ ad *Lexica* à te contempta, neceſſariò te remitterent. Atqui pro ea quâ eſt humanitate, levat te hoc onere *Caſaubonus*, dum margini interpretationẽ adijciat. Quare non tam reprehendendus, quòd Græca ſubiecerit, quàm à te laudandus, quòd expoſuerit. Nec conſtat cur ipſi magis ſuccenſeres, quòd hujuſmodi Græcorum vnionibus orationem interſtinguit, quàm *Ciceroni* ad *Atticum*, quàm *Veſpaſiano*, quàm *Lipſio*, quàm *Puteano*, quàm *Gretſero*, *Lorino*, & alijs nonnullis è ſymmyſtis tuis peritioribus, qui eiſdẽ *ſuccidiæ fruſtulis* ſcripta ſua condiunt. *Otacouſtes* & *proſagogides* apud ſereniſſimam Galliæ Reginam, exagitat aulicatulus *Cotonus* veſter, quæ ſi reprehenſa à te cognoſceret, contraheret forſan ſupercilium. At *ſi it*, & *ſies* & *operam*

Lib. 2 de doct. Chriſt. cap. 13

Proœm. in primam part. Thom.

Ad finem ep. declarat.

peram abutor meam,& carioſa huiuſmodi tuam ad talivam non faciunt. Credo equidem,qui vltra *Tullium* aut *Nizolium*,non plus Latinus es,quàm *Græcus*. *Caſaubono* enim hoc condonari potuit,quod in limandis iſtis antiquioribus,aliquid hæreat;præſertim cum in talibus,nec frequens ſit,nec obſcurus. Scribit vt intelligatur, elegantias quas non aucupatur, habet. Proculdubiò ſi eſſet Pontificius,obelos iſtos non metueret. Interim tibi remittit quod in illo deſideras *maledicendi acumen*. *Sophiſta* nec audivit vnquam,nec cupit, logicus dum ſit,non tantùm *nominalis*, ſed *realis*, ſufficit. Vertiginoſum animal! quid tibi venerit in mẽtem anilibus huiuſmodi nęnijs lectorem retardare? Quid hęc ad Rhombum? Nullúſne vomicam aperiet ſcelerum veſtrorum, niſi per *Pontem* veſtrum *aſininũ* inveniat *medium terminum*: nec enarrari poſſint aliaſtorum proditiones,niſi,*Neq; enim verò*, vel *certè quidem*, aut *quanquam etiamſi*, incipiat, & *eſſe poſſe videatur*,aut Epigrammatiſtæ aliquod ſcemma, claudat periodum. Sed agnoſco *Turſilini diſcipulum*, qui librum ſcripſit de latinæ linguæ particulis. Pag.99.

Fur es,ais,Pedio; Pedio quid? crimina raſis Perſ.
Librat in antithetis,doctus poſuiſſe figuras.
Laudatur.---

At enim jam non quæritur(mi naſutule)quàm lepidè *compoſita lexeis*,ſed quàm aptè rebus cõveniunt. Attendatur igitur ratiocinatio. *Caſau-*

ſaubonius græca immiſcet, antiquata affectat, non elegans, non ingenioſus, nõ acutus eſt in male dicto, ergò fides ipſi de rebus Ieſuiticis narranti, non eſt adhibenda, aut *arrogans potiùs eſt, qui contra Ieſuitas audeat* hiſcere. Profit veſtra ſternutatio (egregie domine Profeſſor) an iſtius qui tantum crepat *logicam*, ſint hæ *demõſtrationes potiſſima*? At Rhetor videris accuratior, dum vt *inſulſam* reijcis *correctionem*, in
Pag 14. qua *horroris* pro *honoris amphitheatro* à *Caſaubono* ſubſtituitur. *Convenit* (inquis) *orationi* nõ *Epiſtola*, *colloquio* non *ſcripto*. Itáne *Orlandinus*, *Valtrinus*, *Bencius*, in Rhetoricis te inſtituerunt? num erraſſe igitur dicemus Apoſtolum, quia tam apertè ſeipſum corrigit, in pri-
Cap. 15, 10. ma ad Corinthios Epiſtola, *abundantiùs omnibus laboravi, non ego tamen*? ſed vt Africa, ſic Ieſuitæ, aliquid ſemper *apportant* novi, figuræ quæ *orationem* ornant, non competunt iam *Epiſtolæ*. Ceterùm cum non *correctio* hic tantùm ſit, ſed *paronomaſia*, in vocabulo *horroris* & *honoris*; petunt à te Rhetores, vt tametſi diſpliceat *correctio*, maneat tamen in Epiſtola, pace tuâ non *inſulſa* penitùs *agnominatio*, quia *horrori* potiùs eſt legentibus, quàm *honori*, laudatis, illud de quo agebatur *ampulloſum amphitheatrum*. Huiuſmodi ſunt errata Caſauboni in Grammaticis & Rhetoricis, quæ videtur à te referri ad titulum Arrogantiæ.

Non perfidus 6 Succedit *Perfidia*, pollicitus ſiquidem erat *Frontoni Caſaubonus*, authorem ſe futurum a-

apud regiam maieſtatem, vt facilem ſe præberet in veſtram ſocietatem? Poſteà verò, vt apud Regem iniret gratiam, defeciſſe & ſuſceptos in clientelam accuſaſſe. Sed quid ſi factum hoc negaret *Caſaubonus*? quomodo tu cõfirmares? nec veriſimile eſt voluiſſe *Frontonem*, Ieſuitarum patrocinium tali deferre, qui ſuorum iudicio vix *audit Grammaticus*. Sed vt gratis quod vrges largiar, petiit hoc *Fronto*, pollicitus eſt *Caſaubonus*, charitas operit multitudinem peccatorum; obſecro te in Ieſuitarũ cauſa, quo ore *Regem ſapientiſſimum* compellaret? Nunquid in hunc modum? *Sereniſſime Rex; Ieſuitarum quæſo pientiſſimorum rationem habeas, quos inuidia premit, nõ admiſſum aliquod ſcelus. In Gallia, Polonia, & Germania conſtat ſatis, quàm fuerunt pacifici, nec ex Actis veſtris publicis æſtimandus eſt illorum in tuam maieſtatem affectus. Conficta enim ſunt iſta à Conſiliariis tuis, in Societatis odium, & Martyris Garneti perniciem.* Quid expectaret reſponſi? Annon illud *Achis* de *ſimulante Dauide, num deſunt nobis furioſi, quòd introduxiſtis iſtum, vt fureret me præſente?* At quid aliter diceret, niſi veſtro more mentiretur? Quare candidè *Frontoni* ſeipſum aperit, accepiſſet ſiquidem in *Anticotonũ* ab illo *Apologiam*, in qua montes parturiunt, & mus naſcitur, oſtendit hanc ſibi non ſatisfacere, & quibus præcipuè in rebus; miratur (vt jure poteſt) cur *Fronto* tali ſcripto acquieſceret, cujus putidas fraudes *mammachuthus*

Pag. 15.

Pag. 16.

1. Sam. 21. 15.

facilè subolfaceret. Vbi latet hic perfidiæ suspicio? an perfidus erit tibi amicus, qui de re religionis interrogatus, quod sentit, loquitur? qui id scripto agit accuratissimo, vt *errātē vicini bouem aut asinum in viam reducat?* sed iustissimas *Casaubonus* hic luit pœnas, qui à fronte æstimaret *Frontonem*, aut aliquem alium ex *Ignatij* catulis: tam illi amant Orthodoxos quam diabolus electos. Nam cui bono cessit aliquod cum Iesuitis commercium? Notum est illud Iohannis regis olim nostri, omnia sibi ruisse in deteriora, ab eo tempore quo gratiam ambivisset Pontificis. In eodem planè censu, præ cæteris est execranda *tua Societas*: pedem vix inferunt in regnum, quin vt *Equus Seianus*, aut *aurum Tholosanum* evadunt fautoribus. De *Frontone* autem particulatim, vtpote prorsùs ignoto, non est quod temerè aliquid adijciam. *Casaubono* potuisset imponere, aut ipsius vera modestia, aut simulata hypocrisis. Atenim (inquis) *si legit Fronto Apologiam & probavit mamacuthus*, si *non legit, vel legit, & non ignoravit, & nihilominus probavit, Casaubono Vecors est*. Quod argumentum tuum tricorne non stoliditatem aut *vecordiam* arguit, *Frontoni* objectam, sed tibi innatam. Quot enim sunt in tenebris vestris Ægyptiacis, qui voto emancipati *cæcæ obœdientiæ* in rebus præsertim Theologicis, non tam sunt sui juris, quàm *Balaami asinus*? Sive igitur apologiam legisset *Fronto*, sive non, quicquid suggesserit conscientia eodē mo-

Foxii Martyrol. pag 232.

Gellius lib. 3. c. 7.

Pag. 17. 18.

modo esset pronuntiandum. Non hiscendum erat contra Societatis commodum. Amicè hoc innuit *Casaubonus*, ideóq; non arguit illum vt *mamacuthum* qui legit, & non intelligit, aut malitiosè vecordem, qui vt aliis morem gerat, quod tacitè improbat, palàm commendat: Sed vt excordem potiùs, & meticulosum humanitùs excitat, vt expensis rerum momentis, indueret hominem, nec permitteret os sublini, à suorum importunitate, cum judicio valeat, quo offucias istas dissipet. Vtrum verò ad *fermentũ* vestrum *Babylonicum*, in aliquibus *Fronto* nau- Pag. 19.
seat; optandum potiùs existimo, quàm asserẽdum. *Marta* verò si non probet de Suprematu *prodigia, apologistam* vix feret, aut tui similes qui aliter loquimini, sed non aliud. Apertè iste sycophanta, quod res est, effutit. Vos quid monstri alitis, supprimitis, vt sit, sed non videatur, ne simplicitas creet periculum, & mysticè desinat operari *iniquitatis mysterium*. Sed de 2. Thess. 2.
istis fusiùs in sequentibus. Præmisse quæ inferunt perfidiam huc ferè recidunt. *Non intercessit apud Regem Casaubonus, vt Iesuitis se præberet facilem, sed scripsit ad Frontonem Ducæum non probatum ab ipso fuisse, quem misisset apologistam: ergo est barbarè inhumanus & perfidus.* Annon periculosè concludunt huiusmodi argumenta?

7 Restat cum impudentissimis mendaciis per integrum *Casauboni* libellum admissa *assentatio*. Vbi lepidum est spectare, quàm non Non assentator.

tam *assentationem*, & *mendacia* (vtpote tibi familiaria) perstringis seriò, quàm desideras in obtusiore *Casaubono mentiendi & assentandi artificium*, sed excusabit interim se, hoc modo ingenuus senex, abhorruisse semper ipsius indolem ab huiusmodi studiis, nec quæsiuisse, aut incidisse in Iesuiticos præceptores, qui tã affabrè, (vt tu facis) ista delinearent. Quare nõ invidet vestræ disciplinæ istam qualemcunq; solertiam, puer hanc non didicit, senex jam nõ potest, nec existimet ista valere apud *talem Monarcham* cujus *oculi sunt in capite*. Prodessent hæc potiùs præcepta *Canonistis* tuis, ne tam immodicis onerarent Sycophantijs Pontificis vestri humilitatem. Nam quis commodè potest tam aperta deglutire? Papa [a] *potest omnia quæ Christus potest*; [b] *est plus quam Deus*; [c] *potest de iniustitia facere iustitiam, ex nihilo aliquid, ex virtute vitium*, si [d] Cardinalem vestrum audiamus. Immò idem ipsi *lapis est positus in Sion, angularis, precioſus, in fundamento fundatus*, & similia; quæ *servum servorum* in ruborem darẽt, nisi ad huiusmodi pœnitùs occalluisset. Isti à te *Gnathones* rectiùs instituti, cautiùs fortasse adularentur, sic vt *Protestantibus* nostris hebetioribus risum non pergerent commovere. Deniq;, dum *politicos* inter nos perstringis, qui *imperii opportunitatibus religionem omnem metiuntur*, metiris fortan omnes ex tuorum modulo. Nostri enim limitibus contenti propriis, aliena nec invadunt, nec

Pag. 10. 31.

Eccles. 2. 14.

[a] Hostiensis cap quanto. [b] Fran. Zab. [c] De translat Epis. c. quant Gloss. [d] Bellar. l. 4. de Rõ. Pont. c. 5. In præfat. ad controv. de Pont. Rom.

Pag 31.

nec expetunt. Quis ex noſtris vendicat *ſuprematum* in aliorum ſubditos? quis extorquet aliquid ex ſuperſtitioſis ſub religionis prætextu? nunquid è noſtra prodeunt *politiâ*, qui *Papæ* aut *Cardinalibus* inſidias ſtruunt ſulphureas? Impoſtores à mundo condito impudentiſſimi! audetiſne vos de *Hieroboami vitulis* hiſcere, qui multiplicaſtis vitulinos veſtros deos *aureos, argenteos*, & lapideos, vltrà numerum civitatũ? veſtri ſunt *Herodes, & Neroues ſanguine ſanctorũ* purpurati, qui eò ſurentiùs ſęviunt jam tandẽ in præcipitio, quia ſentiunt, vt *diabolus, tempus illorum eſſe breve*. Quis *Caiphæ* poſſidet *Cathedram* prẽter veſtrũ Pontificẽ? qui infallibili etiã illius gloriatur ſpiritu. Accipere potuiſſes à *Bernardo*, quinam *prælati* præcipuè habẽdi ſunt *Pilati*; ſin *periuros* aut *periurij* authores perſtringere libuiſſet, liberaſſes priùs *patres tuos* ſanctos à tam infami macula, quàm Reginam poſt homines natos *ſanctiſſimam Elizabetham* tam ſceleratè acculaſſes. At *privilegia* (inquis) *eccleſiæ & fidem Catholicã, quam ſeruaturam ſe obſtrinxit, violavit & prodidit*. Tu aſtitiſti ſcilicet illi à latere, quãdo juramentum tale ſuſcepit. Sed cujus quæſo Eccleſiæ violavit privilegia? Romanæ dices; ergò ne Catholicæ? argumentum Thraſyliani inſanientis apud *Horatium* & *Athenæum*, qui cum ne cymbã quidem poſſideret, omnes tamen naves portum ingredientes ſuas eſſe contendebat. Quid autem? num privilegia non extant a-

Pag. 22.

Bernard. ad Eugen.

Lib. 2. Epiſt. Lib. 12. deipnoſoph.

liqua præter vestra decretalia? nec constare potest fides, sine vestris lacinijs? æstiment interim cordatiores, quâ flagrant charitate sepulchrales isti canes, qui more barbaris execrando, in principes vivos, & mortuos tam impotentèr dentes exacuunt. Miror *Tyræum* tuum & *Delrium*, qui tam frequenter inter *possessos* & *obsessos* fuerunt versati, non observasse hacten⁹ ex scriptis, te prorsus esse Dæmoniacum. Nam quis aliter assereret hæc nostra esse decreta, *Deum nullum colere; religionem temporibus accommodare; Ius & fas in vtilitate reponere; publicam causam privatis libidinibus prætexere; fidem, cum opportunum est, fallere; fallacibus blãditijs odium tegere; innoxio sanguine tyrannidem confirmare.* Vestra sunt potiùs hæc (vt cõstat) porismata, quæ impingere nobis *Creticæ* tantùm est frontis & artificij. nisi fortè in aliquib⁹ hæc admittatur limitatio, *Deum nullũ colimus*, hoc est *fictum* à *statuario* aut *pictũ* in *fenestris*, vel *parietibus*. *Tempori religionem accommodamus*, non relabentes ad antiquatos vestros *Iudaismos*, aut deflectentes ad *Ethnicismos*, sed vt ferunt splendidiora hæc Evangelij tẽpora. *Ius & fas in vtilitate reponimus*, non *indulgentiarum*, & *redituum*, sed ex concreditis talentis ad lucrandas animas. *Publicã autem causam quinam prætexunt privatis libidinibus?* Annon ij qui omnia, & sola sua jactant esse *Catholica? Catholicus Pontifex, Catholica Ecclesia, Catholici Doctores, Catholica Cathedra, Catholi-*

Pag. 23.

ca

ea concubina, Catholica lupanaria: Neſcio etiã *an mulus* Papæ dicendus ſit *Catholicus*. At quorſum hæc tendunt omnia, niſi vt prædicetur *hoc vniverſale*, ita καθ' ὅλου πρῶτον de omnibus nobis inferioribus, vt retrocommeent omnia noſtra ad Pontificis libidinẽ? Pari ratione *fidem fallere, cum opportunum eſt*, quàm *æquivocatoribus* convenit? *odium blanditijs tegere, Italis? tyrannis*, veſtris *Inquiſitionum lanienis*? eodem modo quo tibi & tuis *Cretenſibus*, mẽdacium. Nec tam apud nos *Religio in nũmo eſt*, quàm in iſta civitate, vbi *omnia ſunt venalia*. *Proteſtantes* nos eſſe agnoſcimus, adverſus *veſtras violentias*, ſed quales *Catholici* olim fuerunt, (teſte *Auguſtino*) in illorum temporũ hæreticos, quos è *medio*, more veſtro, non tollebant, ſed *mulctâ* (vt apud nos fit) juxta *legem Theodoſij* coercebant *pecuniariâ*. *Puritanos* vobis habeatis, *qui opera evehitis, merita iactatis, legem impletis, ſupererogationem introduxitis, Principes veſtris conſiſtorijs ſubijcitis*. *Genevenſes* tales nõ ſunt, nec vnquam fuit *Caſaubonus*, qui vt *cucullos veſtros biſtrionicos* ſeriò deteſtatur, ita Eccleſiæ noſtræ εὐλαξίαν, ſtudio, quo par eſt, amplectitur. *Togam, pileum, ſuperpelliceum*, & hujuſmodi, nec antea *averſatus eſt*, nec hodiè illis vtitur. Fœminam *Iohannam* quandam eccleſiæ fuiſſe caput, meminit ſe olim legiſſe. *Hermophroditos* autem & *catamitos græcis* tuis remittit, à quibus ſunt iſta nomina, aut ſaltèm *Clero veſtro virginali*, cui, vt prædixit

Auguſt. Epiſt. 50 pag. 219. edit. Frobenij 1569.

B. Apo-

1.Tim.3.4. B. Apostolus, *nuptiæ* sunt *interdictæ*. Sed *arma sunt hæc* vestra *cerealia* (vt loquar cum Hieronymo) *cum fessis rerum* nil aliud *occurrat*. Non hortatur igitur *Casaubonus*, nec cupiunt nostri, vt remitterent aliquid tui, de calumniandi *virulentia*. Sentiunt etenim, quàm in nervum tendit hæc egregia fortitudo, vt experrecti his clamoribus, sagaciores Principes, congregentur tandem in *Armageddon*, ad *internecionem bestiæ*. Tua autem crepitacula tantum abest vt causæ noceant, vt prostent apud bibliopegos, sicut *Calendaria*, post exactum annum scombris adiudicata. Nam quid adducis præter phrases, quod veniam doctorum mereatur? Mendacia tam iunt spissa, & tam frequenter ingesta, vt refiliant nostri *recusantes*, ad oppositæ veritatis conicientiam. Dicteria, quæ hic habentur, sive in personas, sive in stylum, sive in arguendi modum, in omnes pœnè in quos scribis, eadem retorquentur. *Serenissimus Rex noster non est dialecticus, Elienſis non est dialecticus, Abbottus non est dialecticus, Cocus non est dialecticus, Leidrenſerus non est dialecticus, Antecotonus non est dialecticus, Mortonus non est dialecticus. Casaubono* autem (vt Elienſis) nec *stylus* placet nec *dialectica*. Adeò felix semper pugil, *Salmacida* reportas *spolia*, quia non pares invenis *dialecticos*. Atq; has frebricitantis nænias, nõ sufficit ter, aut quater insinuasse, sed ad ravim vsq: ingeminas (velut alia ejusdem furfuris) in quavis

In Ruffinum lib.2.

| Pag. 24.

Apoc.16.16.

pœnè

pœnè pagina. Vt ſi amputarentur ab hac reſpõſione de *Grammaticis*, de *Dialecticis*, de *Avaritia*, repetitæ tautologiæ, vnà cum capitis tertij *parergis Stoicis*, non video quæ reſtarent larvæ, quibuſcum ego luctarer. Horæ tamen ſubciſivæ impendendæ ſunt à me nonnullæ, non vt ſcrupulos aliquos à te injectos eximerem; ſed vt *Caſauboni* famam à calumnijs liberarem, qui gravioribus deſtinatus, tua vix dignatur aſpicere. Pergas tu tamen vt lubet, ſcriptiunculis tuis tautologicis prela onerare. Non *Abbottis*, *Burhillis*, *Collinis*, aut maturioribus noſtris Theologis creabis in poſterum moleſtiam. Hiſce autem meis, ſi vt Theologum deceat, reſpondeas, ſi vacat, eodem tecum agam modo; ſin pergas vt incepiſti ineptire, ſunt plurimi è noſtris junioribus, qui libentiſſimè te vexando, ſtylum etiam exercerent.

DE PAPÆ POTESTATE GARRIT SYCOPHANTICE IESVITA, prudenter ratiocinatur CASAVBONVS.

CAP. 1.

QVAM lethaliter vulneravit Bestiam Serenissimi Regis nostri *punctissima Præfatio monitoria*; ostendunt crabronum agmina, qui confestim inde prosilierunt, ad molestè bombilandum. Animadvertisses ipsos phalanges (vel *Thraso* iste comicus) sic disponentes: *In medium huc agmen cum vecti Donax, tu Simalio in finistrum cornu, tu Syrisse in dextrum. Coquæus & Coffeteau è Gallia, Becanus et Gretserus è Germania, Capellus & Tortus ab Italia, Pacenius* immediatè ab *abyssi puteo*; ac si primus qui allatrasset talem hostem, non esuriret vlteriùs inter *mendicantes fraterculos*. Immò Regio audito nomine

mine, repetit sua adversaria emeritus *Bellarminus*, & fragmenta quædam ferruminat, *ex controversia de summo Pontifice*, vt constaret adhuc superesse vnum doctum Cardinalem, qui si Papatum assequeretur, masculè eum exantlaret. Fuerunt autem inter studiosos nostros, qui in tanti Regis scriptum, tam doctum, tam appositum, tam Catholicum, rescriptum *Papæ* pollicebantur. Et quare non ille scriberet, mussitabant isti. Inferiores, Regia maiestas jure contemneret, superiores non agnoscit, is autē *qui non potest errare*, optimè nobis omnibus satisfaceret. Sic isti pro captu imperiti. Quibus responsum fuit, à varijs variè. Alij, hoc non decere, alij, non vacare, alij non posse Pontifices (vt olim isti *Leones* & *Gregorij*) literas tractare, asserebant; quia *pascunt* jam alio modo, *constituendo* scilicet & *decernendo*, non docendo, (vt subtiliter in illud Christi *Cardinalis Bellarminus.*) Ergo dormiente *Baal* aut hostes persequente, relinquuntur ipsius sacerdotes, ad *clamandum*, & seipsos *lancinandum*. Inter Calones autem hosce vocaliores, circumstrepit hic noster *Eudæmon*, sicut *Sanga* iste comicus instructus *peniculo*. Illud verò quàm fortiter & animosè rotat, modò in reges, nunc in *subditos*, hinc in *Anglos*, illinc in *Gallos*, alicubi in *suos*, frequentiùs jn *alienos*, *Theologos*, *Philologos*, præcipuè verò in *Casaubonum* impetum faciendo; impositum est mihi vt delineē, quod fiet quo possim compendio.

Bell de Rom. Pont. lib. 4, c. 3. & sequent.

Lib. 3. de verb Dei c. 5 & lib. 2. de Rom. Pōtif. cap. 15. Ioh. 21.

2 Et

2 Et quoniam logicam ita crepat quavis pœnè paginâ, ac si ipse tantùm *gustasset* de *modalibus*; revocabo illum (quantum fieri potest) ad proprios carceres, vt innotescat ipsius artificium. Forsitan *inflata* tantum sunt (vt de Sophistis loquitur *Aristoteles*) quæ proponuntur, vt *pinguia*. Methodus certè hujusmodi est, quę Cretensem prodit inter *Labyrinthos* & *Minotauros*, natum: tot ambages nectit, tautologias infarcit, connectenda distrahens, distrahenda connectens, parerga immiscens, controversa transiliens: horsum, illorsum, dextrorsum, sinistrorsum, aliquorsum, aliorsum excurrens, ac si deditâ operâ strueret opus *Dædaleum* ad monstrum aliquod alendum, cujus anfractuosę ambages infirmiores adigerent ad vertiginẽ. Vnde meritò quis possit suspicari, eum nihil habere præter centones quosdam consarcinatos ex *Bellarmini* aut *Gregorij* de *Valentia* dictatis, quos tumultuariò toties congerit, quoties libellus est emittendus. Nam in *Parallelo*, in *Anticotono*, in *Apologia Garneti* eadem semper ingerit, vbi titulos observes ad summum quatuor, *Suprematum*, *Æquivocationem*, *Signaculum confessionis*, *Res Anglicanas* aut *Gallicas*, in quibus videtur versatior: extrahas autẽ monedulam ab illis senticetis, & implumem illum ferè in ceteris omnibus reperies. Tota quæ hic coacervatur *confusio Babylonica*, distingui potest commodè, in Pseudologias, Battologias, Parerga, & soricina subterfugia; sed ne de-

Lib. 1 Elenchorum c. 1.

fide-

fideraret lector quid seorsim opponat singulis, sequar hujus genij ductum, vt octo illius capitibus, totidem nostra propinentur hellebora.

3 Atque vt in re ipsa figamus gressus. Duo sunt, quæ (vt non malè colligas) jure exagitat Pag. 2 *Casaubonus*, in Epistola ad *Frontonem. Usurpatam Pontificis potestatem in liberos principes*, & *Iesuitarum technas ad illam stabiliendam*. Occurris tu, primò vt Pontifici, deinde vt tuis, feras suppetias; ac *potestatem* hanc cõtendis, hoc in capite perperam à *Casaubono* explicatam, in sequente verò, Principibus non esse periculosam. De singulis vt agamus punctiùs, sit problema primo eventilandum.

Pag. 3. *Utrum Pontificij Pontificem maximum, vnicum mundi vniversi Dominum, vnicum Vicedeum, vnum Imperatorem, vnum verè principẽ, vnum Regem ita statuant; vt si quis regum aut principum, huius imperio parùm se præbeat morigerum, sive in Spiritualibus, vt multi sæpè, sive in temporalibus vt superiori seculo Iohannes Rex Navarræ, talis etiam illa falsa imagine principatus, quam doctrina ista regibus concedit, ipso iure, etiam ante prolatam a Pontifice sententiam, vt multis placet, vel statim à prolata sententia, sic excidat; vt solvantur eius subditi, à naturali subiectionis vinculo, ipse autem vel subiectorum populorum viribus, vel aliorum principum, solio sit detrahendus.* Affirmat hic *Casaubonus* ex non *ignotis vestris* (vt loquitur) *principijs*.

Qui-

Quibus enim lippis & tonsoribus pœnè non innotescit, quàm hinc *Canonistæ*, illinc *Theologi*, dum instituant Papæ ἀνεύθυνον, *principes* constituant *inferiores diabolo*. Ea tamen est tua sive fraus, sive frons Iesuitica, vt quot in proposita quæstione sint *verba, haud multò pauciora eliceres mendacia*. Artificium perpendamus. *Primò* (inquis) *pessimâ fide controversiæ statũ invertis, atq; alium facis ex alio*. Atqui nihil addit *Casaubonus* de proprio, vestra tantum adduxit, & tamen invertit statum? Ostendis. *Neq; enim ea nobis vel cum Rege Britanno, vel cum alio Ecclesiæ hoste, controversia est, sitne Pontifex Dominus orbis terrarum*. Vel vt postea, *sitne summus Pontifex, regnorum omnium dominus*. Ergo aliquid remittit *Iesuita* de Papæ omnipotentia, non placent isti Dominii invidiosi & antichristiani tituli, attendamus igitur quò se proripit. Quinque sunt (fatente adversario) quæ *Casaubonus* in re proposita asserit. Primũ, Pontificios defendere *Papam orbis terrarum esse Dominum*. Secundum, *nullum verè & propriè esse Regem aut Principem, præter Pontificem Romanum*. Tertio, *Regem aut Principem immorigerum, imperio Pontificis regno posse spoliari, ad summum post prolatam sententiam*. Quartum, *hoc effectum fuisse in Iohanne Rege Navarræ*. Quintum, hanc doctrinam de potestate Pontificis, in deponendis Regibus, defendere, *Martam, Alanum, Sanderum, Andream Philopatrum, Treshamum, Bozios fratres*,

Vid Ep. Greg 7. ad Episcop. Metensem apud Binium Tom. 3. lib 8. ep. 21.

Pag. 4.

Pag. 5.

tres, Moſconium, Mancinum, Peſantium, Conſtantinum Verunam, Symancham, immò duos Illuſtriſſimos Cardinales Baronium, et Bellarminum. At hæc ſunt totidem (inquis) mendacia. Primum patet, quia duplex eſt ius conſtituendi de rebus Eccleſiæ, Miniſteriale, & Dominij. Miniſteriale tantùm aſcribis Pontifici; at ius illud Dominij, facile (inquis) ijs remittemus, qui cunq; eam ob cauſam, Eccleſiæ adverſantur. Atqui hic regereret Caſaubonus, quæſtionem te penitùs mutaſſe, atq; aliam ex alia feciſſe. Etenim non quæritur (te proponente) quo iure Pontifex ſit orbis terræ Dominus, ſed an ſit omninò orbis terræ Dominus, quæ Logici nòrunt diſtinguere, vt fecit in Barclaium Bellarminus. Verùm tranſeat hic lapſus feſtinantis, qui An ſit, vertit in Quomodo ſit, Dominium in Miniſterium. Miniſterium hoc tantiſper diſpiciamus. Si Dominio tandem ſe abdicet Pontifex, & Miniſtrum tantùm agat, cum relationis ſit hoc vocabulum, vt conſtat omnibus, excutiet te vlteriùs Caſaubonus; cujus reſpectu Papa aſſeris in temporalibus Miniſtrum. Si Chriſti, ſiç Politicus quiſq; Magiſtratus eſt Miniſter, à Deo immediatè dependens, fatente, & probāte Bellarmino; ſin Magiſtratus reſpectu miniſter ſit dicēdus; cur ſervus hic ſerverū nō agnoſcit dominum? quia ſervit (inquies) regēdo, & præſidendo, non obediendo & parendo, vt acutè diſtinguit Cardinalis. Vidi ſeruos in Equis, & principes ambulantes ſuper terram quaſi ſervos.

Pag 4.

Cap. 3. in initio.

Lib. 5. de Romano Pont. cap. 3.

Lib. 1 de Rom Pont. cap. 7. Eccleſ. 10. 7.

vos. Annon citò intumuit *hoc ministeriale ius*, vt cum *Dominio* quod obijcimus, pari passu ambulet? Sed logicæ vestræ est hoc mysterium; non tantùm disparata in rebus, sed in verbis repugnantia (vt ita loquar) *transubstantiare.* Olim inter Pontifices *maleficus*, erat *Bonifacius, timidus, Leo, rusticus, Vrbanus, improbus, Innocentius, ferox, Clemens*, hic autem *Dominus* fit *Minister*, qui remittit dominium magistratui, & tamen repetit; servit regendo, ministrat præsidendo. *Vox Iacob est, manus autem manus sunt Esau. Sed frustra tacitur rete, ante oculos pennatorum.* Ætas hæc sagacior, non facilè implicatur huiusmodi decipulis, res intuetur, nō verba. Interim cū tam inexpectatò se tandem demittat, *princeps Sacerdotum*, ad *ministri* titulum; non repudiabit (vt speramus) propediem, *Prædicantis* nomen, aut *Evangelici*, cum *pastori ovilis Domini* id aptiùs competat. Occurris secundò, *Doctissimos reuerà Canonici Iuris interpretes, Dominum orbis terræ pontificem esse statuere, Theologos tamen ferè repugnare. Doctissimi* igitur sunt, & Pontificij sunt, qui idē asserunt quod *Casaubonus*; qui repugnant non hoc faciunt pleno impetu, & absolutè, sed frigidè, circumspectè, *ferè*: ergò *Casaubonus* non invertit statum quæstionis, sed inversum accepit à *Canonistis*, nec oppugnatum vidit à tuis *ferè* potiùs, quàm *verè Theologis*. Atqui si ingenuè esset agendum, cur non plenum fecissent impetum, in *Canonistas* Theologi? cur *Pa-*

Polydor. Virg. de rerum Invent. l. 4. c. 10.

Gen. 27. 22.

Prov. 1. 17.

Bellar. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 31.

pa, cui *Index expurgatorius*, huiusmodi non expunxissent Sycophantias? facile esset Pontifici, si libuerit, suspitiones omnes amputare, si candidè tantùm, & apertè vt Christi decet ministrum, hoc aut simili modo ageret. Ego (fratres) hos blasphemos titulos nec expeto nec agnosco, sed quantum in me est repudio & expungo. *Imperatorem dominum esse meum*, cum *Gregorio Hadriano*, & *Leone*, libens profiteor. Temporalibus non omninò me immisceo, regibus sarta tecta maneant diademata à Deo ipsis immediatè collata; quæ si minùs rectè gerant, Deum, non me expectent vltorem. Atque in omnibus hisce, intervenio, & suadeo tantùm vt frater, nõ leges fero, vt Dominus. Huiusmodi si bona fide proferret Pontifex, confectum esset negotium. Tertio respondes, Pontificem non habere *absolutum dominium in temporalibus*, quod Christi est solius, *nec illud esse necessarium*, sed respectivum tantum, cum id magnũ aliquod commodum ecclesiæ flagitârit. haud secus ac *Iudex sub rege*, quia vtcunque *ministeriale ius*, in *rempublicam obtineat*; *ve in privatorum quidem bona domosque, nisi ministeriale ius habet*. Hic patior pœnè in legendo, quod tu in scribendo (vt de Ruffino habet Hieronymus) vix ego assequor quid vis, quia tu vis, quod vix intelligis. At hoc non efficiet obscuritatis atramentum, vt sepiæ instar, sic possis te subducere. Sit etenim vt contẽdis, *Rex* ille *Christus*, *Index*, *Papa*, cui demandatum sit hoc solummodo

Lib 3. epist. 61 lib. 4. epist. 31 Dist. 63 Can. Hadrian. Papa ibid. Can. in Synodo.

Lib. 1. adverſ. Ruffin.

ministeriale iudicandi munus: at regibus antea *remiseras, ius dominandi* in suos subditos. Quid si igitur jam lis interveniret inter *ius pōtificis ministeriale*, & *regum, dominij*, de eisdem subditis? num Pontifex vt inferior cederet? aut *ius ministeriale, iuri dominij*? apage istas pueriles nænias, quis non potuit, centum huiusmodi distinctionum pedicas, ad libitum cōminisci? sed in tanti re momenti, expectant prudentes fundamenta, non pœdotribarum commēta. Querimur nos quòd vsurpat *Antichristus*, non curamus quo titulo vsurpat, nec quem videmus tyrannum agere, sufficiet seipsum *ministrum* tantùm profiteri. Quod si eò se demittat, *occidentale* hoc *supercilium*, vt qui hactenus regnaverit tandem (si diis placeat) libeat ministrare; peragat quæso pensum, intra Italiæ fines: Habet serenissimus Rex IACOBVS, & doctiores, & fideliores, inter suos subditos, qui levabunt ipsius sanctitatem hoc *ministrandi* onere.

ὀφρὺς δυτικὴ Basil. epist. 10

3 Secundum enumeratur *Casauboni* mēdacium, quòd asserit *pontificiorum sententiâ, nullos verè ac propriè esse reges, præter Romanū Pontificem*. Probas, *quia non Theologi tantùm integras regibus appellationes suas, & iura servant: sed & doctissimi Canonistæ, qui dominium totius orbis pontifici tribuunt*, regis *iuribus nihil eam ob rem detractum existimant*. Quod familiari conficis similitudine. Vt enim *ius politicum* sive *altum*, non detrahit, *iuri œconomi-*

Pag. 5.

co, sic *Ecclesiæ ius divinius*, in Ecclesiæ regna, reges, & principes, non imminuit quicquam *politicorum iuri*, aut *naturali*. Itáne verò tam citò *ministerium* tuum humile, in *dominium in altum* excreverit? regésne igitur erunt *tenētes ad firmum*, & Papa *dominus in altum* totius *manerij*? quid hoc est aliud, quàm (quod optimè vrget *Casaubonus*) reges exreges, principes subditos, distinguendo efficere? Vnde adhuc non *mentitur ille*, sed tu nugaris, dùm *claves* & *gladium*, *cathedram* & *solium*, *ministerium* & *dominium*, tam ridiculè & inconstanter inter se committis. Sed luculentius forsan est, quod *tertium* obseruas *mendacium*; audiamus. *Si quis regum aut principum, summi pontificis imperio se parùm præbeat morigerum, ad summū post prolatam sententiam, imperio, aut regno ſpolietur.* At *non ita est* (inquis) *nemo id docet.* Imò (nisi te pro nemine habeamus) tu hoc ipsum doces, hoc ipso in loco, quo tam impudenter vociferare; gravis (siquidem addis) *debet esse causa, vel cedat ista punitio in ædificationem, nō destructionem Ecclesiæ*; & tum reges possint à Pontifice deponi, non autem statim quando *parùm se præbent* (vt loquitur *Casaubonus*) *morigeros*. Non possim quin tibi caput demulceam, (Cretensium omnium versutissime) ex vocabulo *parùm*, tam multum elicis: parùm abfuit, nisi adfuisset hoc *parùm*, quin non esset quid opposuisses. Verùm cum vna eademque causa huic videatur *gravis*, alteri fortassè leviſſima;

Pag. 6.

sic

sic vt isti, eam torqueant ad commodum Ecclesiæ, illi ad detrimentum; deinde cum *orthodoxam* illud ædificet Ecclesiam, quod evertit *Antichristianam*; quis intercedat deribitor, an causa gravis sit, aut levis, Ecclesiæ noceat, aut prosit? proculdubiò quos *Casaubonus* indicaret, principes *parùm morigeros*; *Iesuitæ* tui sicarij, quasi gravem aliquam ob causam, è medio tollerent. Interim tu nihil vis aliud, nisi vt accusatus Papa, constituatur iudex, qui causas æstimet pro libitu. Sic autem, ex plenitudine potestatis citò efficiet, vt *parùm* hoc *Casauboni* in Apostasiam transeat. Moderati igitur & docti judicent, An mentiatur hic *Casaubonus*, aut *Cres* calumnietur.

4 Quàm tutum sit efferatissimæ Antichristi tyrannidi colla reges submittere, ostendit *Iohannis Navarræ* Regis, à summo Pontifice depositio. Hoc quia factum esse asserit *Casaubonus*, tu fœtus mendaciorum, *mendacio* non *vacare asseris*. Sed si vnquam fraudis inopia, & angustia, fuerit conspicua, extat hoc in deplorando hoc tuo effugio. Recollige tantùm quid effutiveris, *mendacio* (inquis) *non vacat* quod affirmaverit *Casaubonus*, *Iohannem Navarræ regem, à summo pontifice regno fuisse spoliatum.* At hoc qui constat? Ego (addis) *Iure an iniuria pronunciata sit in eum sententia, quod ad rẽ non facit, in præsentia nõ disputo; illud tãtùm affirmo, spiritualem sententiæ eius causam, à Iulio secũdo Pontifice allatam esse.* Ergo illud affirmas

quod *Casaubonus obijcit*, & tamen te non mentiente, *Casaubonus* mẽtitur? mentitur (inquies) non in facto declarando, sed in causa designãda: non enim *parùm* se præbuit *immorigerum* in temporalibus: sed valde refractarium in *spiritualibus*. Hoc confirmat *Iulij secundi*, qui illum solio deturbavit, sententia, referente *Tortore* (sic enim tibi mastigię lubet Clarissimum *Elienſem* indigitare) ex Nebrissensi. lib 1. c. 6.

Tort. Tort. pag. 272.

nam ita *Albanus, Belli dux pro Hispanis, ad Pãpilonenses, quæ vrbs est in regno Navarræ primaria*, super ea re *concionatur. De titulo dubitatis? Vniversali ecclesiæ, atque Apostolico senatui credite: qui regem vestrum Schismaticum, Hæreticum*, Apostolicæ *sedis hostem publicum, atque reum læsa maiestatis declarârunt, bona publicârunt, primo occupãti, & nominatim principi nostro concesserunt*. Forsitan hic Rex Iohannes *Scortum* erat *mentito sexu*, vt *Iohannes* Octavus, vel *seditiosus* vt *Iohannes* Decimus, vel *spurius* vt *Iohannes* Duodecimus, Decimus quartus, & Decimus sextus, vel *Simoniacus, fur*, aut *latro*, vt *Iohannes* Decimus octavus, vel *Levis* saltem, aut *stolidus*, vt *Iohannes* 22us, aut *hæreticus* vt *Iohannes* 23us, nil tale ipsi objicitur, vel ab Historicis referentibus, aut Papa deponente, aut ab *Albano* mandatum exequẽte, sed *quia Gallus ipse partem maximam patrimonij habens in Gallia*, (vt verissimè factũ narrat *venerandus Elienſis*) *Ludovico* Galliæ regi, oppugnato à *Iulio* Papa, vt conterraneo & regi

Platina in vitis horũ Pontificum.

Concil. Cõst. sessione 11.

gi ſuo erat affectior; ſic vt non permitteret *Hiſpanum*, Pontificis pugilem, per medium *Navarræ* regnum, exercitum in *Aquitaniam* ducere; nec tres arces ipſius munitiſſimas, pro libitu in regni ſui meditullio poſſidere; *Schiſmaticus, Hæreticus, Apoſtolicæ ſedis hoſtis publicus*, confeſtim declaratur; regno exuitur, poſſeritas ipſius exhæredatur, hoſtis introducitur. Sed leviores iſtæ ſunt vtriuſque gladij victoriæ; nobis cõjicere hinc licet, quid ſit *ſchiſma, & hæreſis*. Patriam amore innato proſequi, cõterraneis bene velle, pericula quantũ poſſis, à rege tuo avertere, tua conſervare, hoſtibus apertis reſiſtere (Papa ſcilicet *ſub Anathemate*, aliud intonante) *ſchiſma* eſt ſtatim *excitare, hæreſin incurrere*, eſſe *publicum hoſtem*, læſæ maieſtatis reum, deturbandum è ſolio, è patrimonio, è bonis omnibus. Tãta latet maieſtas imperij, ſub *iure* hoc pontificis *miniſteriali*, & tã ferox eſt hic *dominus* in *altum*, ſi recalcitrent è civibus inferioribus, reges primarij. Annone egregiè conſultum eſt igitur illis principibus, qui beſtiæ hujus apocalypticæ ſe ſubdunt miniſterio? at quid vxor, quid filij perpetraſſent, vt ius ipſorum etiam, ad *Hiſpanum* transferretur? Parùm intereſt, ſic vult, ſic jubet Pontifex, per *quem Reges regnant, & qui iniquitates viſitat parentum in filios*. Sed objicientes introducit *Albanus, Pampilonenſes*. *Quòd vnquam audivit regem, & eum quidem regem, qui ſuperiorem non habet, vocari in* ius, *inauditum, cauſaq;* Guicciard. lib. 11.

in-

indicta, condemnari, regnoque spoliari? Respõdet *Albanus, quasi novum sit, & nunc primum ad aures vestras pervenerit, à summo pontifice, reges mulctari regno, imperio imperatores.* Quæ te dum citabas punctissimum *Eliensem* puduit referre, ne (vt rectè Hieronymus de Pelagianis) *quasi mus per aures proprio indicio.*

Epist. ad Ctesiphone, c. 4.

5 Hucusq; constat mendacem esse *Cretensem*, nõ *Casaubonũ*, qui nil adduxit de proprio, sed ex *Marta* tantùm *Neopolitano* transtulit. Cuius verba de Pontifice, ad pontificem *Paulum Quintum*, ne conficta criminere, libet subijcere. *Tu es* (inquit) *Dei vicarius in terris, à quo emanat omnis iurisdictio, vnicus in orbe pontifex, imperator, & rex omnium principum superior, rerum & personarum supremus & Dominus.* At ista tu non tanti facis, Iesuita siquidẽ non erat, *librum non legisti*, defendit (inquis) *paradoxa nescis quæ, quorum causa improbatur à censoribus, eiusq; lectio interdicta est Catholicis, nisi corrigatur.* Quid facies istis Proteis, qui meticulosi de ruitura *Babylone*, sublicas vbi figant, non omninò reperiunt? Scire ego libenter velim, cui fidendum sit è vobis, inter tot sententiarum, & opinionum diverticula. Est cur intelligeret quid scriberet, hic contẽptus à te *Marta*; cùm *Doctor* sit *Iurisprudentiæ* nõ ignobilis, & tractet de *Iurisdictione*, de qua Iurisconsultorum est præcipuè determinare. Prodit liber non Anonymus, sed cum *gratia*, & *privilegio* ipsius *Pontificis*; & non valet tandem

Epist. ded. ad tractat. de Iurisdict. Mogunt. 1610 pag. 7.

dem apud censores, tantum *privilegium*, & *talis gratia*? Esto tamen; sit inter *proscriptos* scriptum hoc, quod non licuit adhuc mihi videre, ex *Catalogis* vestris, & *Indicibus*. Vertigo interim tua, si quà aliàs, stupenda hic præcipuè apparet: cum enim fateris, te *Martam nõ legisse*, & *nescire quæ sunt ipsius paradoxa*; negas tamen, *Baronium*, *Bellarminum*, & *ceteros* a *Casaubono* citatos, cum *Marta* hac in re cõspirare. Ita *cæcus iudicabit de coloribus*; aut de sonis surdus, vel de ignotis absurdus. Quid enim? ceteros tu negas idem sentire cum *Marta*, & tamen quid sentit *Marta*, fateris te ignorare? *Marta* autem, vt ista te anxietate liberem, *directam* in *temporalibus potestatem*, Pontificibus ascripsit. An verò idem dixerint *orepleno*, *Baronius*, *Bellarminus*, & alij, à *Casaubono* citati: superest iam vt paucis expendam[a]. Part. 1. Cap. 19. vt constat ex cap. indice

6 Ac *Baronium* quidem, pessimâ fide adductum asseris, ad confirmandam illam mirificam Pontificis potestatem; cum *locus* quidem *vnus* in hanc sententiam, à *Casaubono* non potuerit *annotari*. Homine imperito, & perverso nil iniquius. Annon verba ipsa à te prolata, ostendant, *Casaubonum* scopum totius operis, nõ hanc vel illam particulam, voluisse vrgere? sed sub prelo (quantum intelligo) habet, quod os tibi ex hac parte, propediem obstruat. Vbi μμωλύκιον hoc mendaciis turgidũ, exenteratum egregiè reperies. Interim *Baronium* non videtur inspexisse, aut oscitanter nimis legisse, Pag. 8.

qui

qui candorem *Casauboni*, hac ex parte desiderat. Frontispicium tantùm *Annalium* intueamur, *congessi* (inquit) *hac velut in cella penaria, contra Novatores.* At quem in finem? *pro sacrarum Traditionum antiquitate, & sacrosanctâ Romanæ Ecclesiæ potestate.* Annon scopus ejus hic manifestò præfigitur? vtcunque autem proponat *traditionum antiquitatem*, traditiones tamen non tanti fiunt, nisi quatenus ordinantur ad *potestatem* stabiliendam. Neque negligit vlteriùs istam *Spartam*, ἐυκαίρως ἀκαίρως (vt prudenter ingerit *Casaubonus*) quovis suco ornare, & ne forsitan lectori excideret, quid agebat præcipuè, per totam temporum seriem Sycophanticè repetit, *pontificē petram esse, à quo reformati excidissent, clavis Davidis certum hæredem*, & huiusmodi pœnè infinita. Paparum autem si perstringantur scelera, à cuiuscunq; generis historicis; quas non excogitat strophas? quo non vtitur lixivio, ad elevandam referentium fidem, & *maculas* hasce *Leopardarum*, quantum fieri potuit, eluendas? astruenda *nimirum est* (vt profitetur) *Apostolicæ sedis visibilis Monarchia, contra novam* (vt appellat) *Politicorum hæresin*. Tomos ego contexerem, si singula quæ huc spectant coacervarem, præfationes sunt jndicio, quid expectandum in opere. Regem Hispaniæ dum alloquatur, mirum est quomodo concoquat ista natio, dum contendat *ipsorum* regnum *ad sedem Apostolicam pertinere*. Gallo vr-

Tom. 1. Epist. dedicat. ad Sixtum. 5.

Tom. 6. epist. dedicat. ad Clement. 8.

Tom. 1. in præfat. ad Annal.

Tom. 11. Anno. 1073.

vrget *felicitatem*, ex *præstito fidei Apostolicæ, humili servitio.* Quid de Polono? *pensitatione* (inquit) *Census annui, rex & populus fecerunt sua sponte, istam provinciam vectigalem, & capitatione perpetua, Romanæ Ecclesiæ sese constituerunt tributarios.* Annotare hæc potuit *Casaubonus* (vt elegantèr ex *Stencho* fecit *Elienſis*) ſi vel inſtituti fuiſſet epiſtolici, aut credidiſſet *Frontonem Ducæum*, hujuſmodi ignoraſſe. Quem enim Imperatorem, quos Reges, quam rempublicam, *Capitolino* ipſius *Iovi* paulò minùs ſequaciores, non ſtigmate aliquo virulento notaverit? *Lotharius* primus,[a] *perſequutor eſt eccleſiæ, & ſcelerata ipſius opera. Henricus* quartus,[b] *infami ſtudio, peſſimus mundinator, apoſtata, tyrannus, Herodis inſtar. Henricus* quintus,[c] *in patrem Carnifex, ſacrilegus, infidus, Fredericus Barabaſſa*,[d] *illudendus Behemoth*,[e] *periurus Henricus* ſextus,[f] *Pharao, Fredericus* ſecundus,[g] *perduelis, Conradus* quartus,[h] *Magnus ſuperbiæ mons, Carolus* quintus. Serta ſunt hæc *Baroniana*, quibus tempora Imperatorum redimit. Quod ſi tibi vacaret percurrere, quid in reges, [i] *Romanorum, Galliæ, Angliæ, Poloniæ, Siciliæ, Arragoniæ, Caſtiliæ*; quid in electores ſacroſancti imperij, modeſtus hic Cardinalis effuderit; quomodo *principibus, Epiſcopis, Cõſiliariis*, imperii privilegiis aliquo modo addictioribꝰ, ſua appingit Eulogia; Lexicon inde contexeres dicteriorum, quod convitia tibi abundanter

Tom. 9. Epiſt. dedicat.

Tom. 11. epiſt dedicat.

In reſponſ. ad M Tort. pag. 218.

[a] Annal. tom. 9. an 833. n. 7.
[b] Tom 11 an. 6. 1072. 1073.
[c] 1080. & ſeq.
[d] Ibid.
[e] Tom. 12. an. 1160.
[f] Tom. An. 1193
[g] Tom. 11. a. 1097.
[h] Ibid.
[i] Ibid.

[i] Vid Goldaſt. replican. pro Imper. cap. 7.

ter suppeditaret; ad condiendos omnes libellulos, tuo more, quos in posterum nobis es obtrusurus. Hoc autem in loco, non opus erat *Casaubono*, vt ista sicut potuit, annotaret: prævenisset *Carlinalis Columna*, eorum quæ *Baronius* scripsit, *de Monarchia Siciliæ, Iudicium*: vbi cum regem ipsum *Catholicum, monstrum, ostentum, tyrannum, opprobrium sedis Apostolicæ*, animadvertit appellari, *hæcnè* (inquit) *sunt præcepta Historiæ? hæcnè tibi debita signa benevolentiæ? hæc sacrosanctæ sedis modestiam, & Ecclesiastici imperij vrbanitatem decent?* Addit posteà. *Quæ quidem omnia, quicunq; perlegerit, asseret potius, in Monarchiam te esse invectum, quàm huius rei historiam scribendam suscepisse.* Sed dabitur (Deo duce) propediem, *Casaubono* occano; infinita pœnè huiusmodi, ex *Baronio annotandi*. Tunc fortassè non prætermittet, quid [a] *Iohannes* quidam *de Puente* historicus (vt videtur) Hispaniæ non obscurus, de tota ipsius historia, immò quid [b] *Regium annotavit edictum*, de *Sicilienſi negotio*, nempè quod relatio *istâ Cardinalis sit temeraria, scripta ex privato affectu, exigua cognitione prædito, ex veritatis historiæ ignorantia minime condonanda.* Interim gustum ego hunc tantum præbui, in transitu, vt *Casaubonum* constaret, à scopo hujus *Polyphemi*, non toto cœlo aberrasse. Nam quo fine sacrosanctam Monarcharum maiestatem, tam studiosè deprimit? nisi vt exaltetur ipsius Hierarcha, *super omne illud quod appella-*

apud Goldast Tom. 3. p. 616

[a] Tom. 1. in l. de La conveniencia de las Monarquias Catolicas de la Iglesia Romana, y la del Imperio Espanol Madrid. 1612.

[b] Datum S. Laurent 3. Octob. 1610.

tur

tur Deus; vt petasi soli regnent, deturbatis *diadematis*. Hanc ob causam *Paulo* iam vestro 5. Pontificatum incunti, *Gregorium* 7. ceu *perfectam* aliquam *Ideam*, legitimæ administrationis, proposuit, quod cum tu, puerilibus tuis argutiolis, eludere & subnervare satagas; non logicæ peritiæ subtilitatem, sed notæ garrulitatis importunitatem, vel tyronibus explodẽdam propinas.

7 Verba Casauboni sũt (ex *voto* vt videtur *Baronij in rempublicam Venetam*) *Qui etiam Paulo 5. pontificatum ineunti, Gregorium 7. ceu perfectam aliquam Ideam, legitimæ administrationis cum proposuit: hoc videlicet non obscurè significavit, eum demùm se iudicare, laude dignum pontificem, qui dominationis suæ causa, cœlum terræ miscere, & universam Europam cædibus, & parricidijs implere non dubitet.* Vbi quis non videt Casaubonum illud confirmare, quod affirmasset anteà de *Baronio*, nempè illum hoc agere præcipuè, vt reviviscat illa mirifica *Pontificis summi potentia* in *Paulo* 5; quę in *Gregorio* 7, invaluisset. Hanc autem tantam esse, quantam *Marta* pontifici tribuendam existimat, *amussis* si admoveatur *Dialecticorum*, quæ ita tibi arridet, nullo negotio demonstrabit. Apud Goldast. Tom. 3. pag 374.

Baronius Gregorium 7, Paulo 5, in pontificatu imitandum proponit. Ergo tantum tribuit pontifici, quantum Marta.

Propositio quæ hic subintelligitur à Casau-

saubono (iuxta leges *Enthymematis*) ad præstãdam antecedentis, & consequentis connexionem, in hunc modum se habebit. *Gregorius 7. tantam vsurpavit potestatem in spiritualibus, & temporalibus, quantam Marta Pontifici concedendam existimat.* vnde syllogismus integer;

Gregorius 7, tantum vsurpavit, quantum Marta tribuendum sentit pontifici;
Sed Baronius Paulo 5, imitandum proponit Gregorium. Ergo Baronius tantum sentit tribuendum Pontifici, quantum Marta.

De minore constat, maiorem supponit *Casaubonus* ex illis historiis, quæ Gregorii vitam delineárunt. Nam qui legerit apud historicos, hunc Pontificem fuisse *prophanum, scelestum, virum sanguinum, Necromanticum, qui Imperatorem Dominum suum solio detrudi haverat, subditos in principem armaverat*: mitissimè loquitur cum *Casaubono*, illum *dominationis causa, cœlum terræ miscuisse, & vniversam Europam cædibus, & parricidiis implesse*. Non me latet quomodo hęc excusant [a] *Bellarmin*us, [b] *Gretserus*, & [c] *Baronius*. Sed quicquid hic dicũt, illud quod vrget *Casaubonus*, manifestò astruitur, cum *imperatorem* fatentur omnes (sive *directè*, sive *indirectè*, sive vt *Dominus*, sive vt *Minister*, parum refert) Pontificem hunc deposuisse, quo quid maius à Marta potuisset exoptari? *Baronius* autem lepidam narrat historiam de eodem *Hildebrando* (quam tamen vt in-

Bennonem Sigibert. Vlperg. &c.

[a] Lib. 5. de Rom Pontif. c. 13.
[b] In append ad 3. controv. de Rom. Pontif
[c] Tom. 11.

Ibid. p. 416.

con-

concinnam reijcit fabulam ipſius *Onuphrius*) quòd cum *fabri* eſſet *filius*, & *ludens* (vt fit) *parvulus inter patris reiectanea, ex ſegmentis fortuitò diſpoſitis*, efformaſſet, *rudis literarum, hanc ſententiam*; *Dominabitur à mari vſq; ad mare*: quo *ſignificaretur* (interprete *Baronio*) *manum pueri ductante numine, eius fore ampliſſimam in mundo authoritatem.* At quænam erat iſta *authoritas*, non limitata, ſed *ampliſſima*, nõ miniſtrandi, ſed dominandi, non intra vnius Diœceſios pomœria, ſed à *mari vſq; ad mare*, quâ maior ipſi Servatori, nõ erat conceſſa? An non talis, aut certè maior, quàm Marta Pontifici, in temporalibus, largiendam contendit? Nervos itaq; vides Caſauboniani ratiocinij, quos quomodò fruſtrà ſudat elidere, tua *Patavinitas*, qui Ieſuiticam admiratur *Dialecticã* rogo vt attentiùs obſervet. In vit. Greg. 7 à Greſſ. edit. Col. 234. Pſal. 72.

8 Solenne eſt *Cretenſi* noſtro, cum intelligat ſe non poſſe adverſâ fronte, adverſario ſuo occurrere; in ſyllogiſmum rem conferre, iuxta *ſuam amuſſim*; vt eludat Sophiſticè, quod ſolidè non poteſt refutare. Totum igitur Caſauboni progreſſum, ad *Dialecticæ* ſuæ calculos, ſic exigit.

Baronius Gregorium 7. Paulo quinto Pontifici, proponit ad imitandum:

Gregorius 7. dominationis ſuæ cauſâ, cadibus implevit omnia: ſignificat ergo Baronius, eum ſibi Pontificem probari, qui dominationis ſuæ cauſâ, omnia cadibus impleat.

Quid hoc? an nescit *professor Neapolitanus* syllogismum secundum *Aristotelem* contexere? an *quartam* reducet *Galeni figuram*, à *Zabarella* haud ita pridèm tam multis explosam? sed aquila non captat muscas, resarciri hic potest lapsus ex propositionum transmutatione, consequentias attendamus, quæ inde eliciuntur. Primò (inquis) non concluditur quæstio, iuxta *leges Dialecticorum*. Concedo, te pervertente, non *Casaubono* ratiocinante. Superiùs ostendi, ipsius progressum; tu cum alium effor maveris, ad *amussim* tuam *Galenicam*, sine cerebro, sine modo, sine figura, exagitas propriam larvam, non *Casauboni conclusionem*. Quo nomine licèt jure potuissem, quæ subijcis, trãsilire, vt totidem spicula in proprium jugulum intorta; libet tamen præcipua delibare, vt pateat ista tua deprædicata in *logicis* peritia. Primò igitur cum vrgeas, *conclusionem non debere dissentire à quæstione proposita*, quæstionem tamen asseris duo continere;

Lib. de 4 syllogis. figura.

Pag. 9

Alterum, *Baronij sententiã, solum esse rvũ omnium Dominum Pontificem Romanum*:

Alterum, *Baronium hoc pleno ore tradere*:

An non vides, quomodò pugnantia loqueris? & syllogismum à te contextum, planè dissuis? Nam si *duæ* sint reverà *quæstiones*, vt te distribuente patet, totidem debent esse conclusiones, quæ illas inferant: ergo media, præmissæ, syllogismi, eãdem ratione, essent duplicanda; quæ tu imperitissimè confundis, & ex

quæ-

quæſtionibus, quæſtionem, ex ſyllogiſmis, ſyllogiſmum obtrudis pro tuo artificio; nec præſtupore tamen intelligis, quomodo teipſum prodis. Deinde vt ſyllogiſmus iſte monſtroſus obtineat, vt à te proponitur, habet tamen *Caſaubonus*, quo diſſipet tuas affanias. Nam qui probat *eum Pontificem, qui dominationis ſuæ cauſâ, cœlum terræ miſceret, & omnia cædibus impleret*, Pontificatus neceſſariò probat *dominium*; Ergo Pontifex nõ tantùm *miniſter* erit, quod tuum eſt inventum, ſed dominus. Dominus igitur eſt, vel ſolius Cleri, vel Laicorum, vel vtrorumq;. Laicos ſat ſcio non eximitis; in hoc autem cenſu ſunt Reges: Reges igitur vi iſtius relationis ſunt Pontificis *miniſtri*, aut *ſervi*; relinquitur ergo Pontifex, reſpectu totius mundi abſolutè dominus, dum reges tantùm ſint Domini, reſpectu ſubditorum. Iam verò hæc ſecundum te eſt *Martæ* opinio, ergò habet quod vult *Caſaubonus*, vel (te referente) *Baronium* cum *Marta* conſentire, cùm illud conſtet ex deductione neceſſaria. Neque enim de verbis litigant prudentes, dum de ſenſu convenit. *Logici* admittunt *æquipollentias* in *propoſitionibus*, in *ſyllogiſmis poteſtatem plura cõcludẽdi*; ſi æquipolleat igitur concluſio quæſtioni, & includatur *Martæ* paradoxum, in *Baronij* ſententia; habet quod vult *Caſaubonus*, te fruſtrà ſingula perturbante. Atq; cõcidit hinc ſecunda tua exceptio, *Aliud eſt docere Pontificem, cum Canoniſtis omnium eſſe regnorum*

Dominum, aliud cum *Marta solum eum esse vere Dominum*. Quanquam tu de *Marta* quod nescis, asseris, nec ego ista verba apud eum reperio: hæc tamen vt rata transeant. Vtcunque positiones istæ verbis discrepent, sensu tamen coincidunt. Quæro enim dùm *Canonistæ* docent, *Pontificem omnium esse regnorum Dominum*, vbi negant eum *solum esse verè Dominum?* non excluserunt igitur *Martæ* thesin, sed dixerunt minus, quod tamen si penetrantiùs introspiciatur, idem valet. Nam si Pontifex sit Dominus omnium regnorum, quæro etiam an regum? si sic, ergo nullus a subiectione superioris in terris eximitur præter Pontificem; ergo *solus Pontifex est verè Dominus, vtpote summũ genus in Regiminis prædicamento*. Principes autem succedunt vt *genera subalterna*, quæ respectu *subditorum*, præsertim *Laicorum*, sunt Principes, quàm diu non displicent Pontifici, Pontificis verò respectu sunt omnes subditi.

Pag. 10. 9 Tertium quod reprehendis, in pessimo a te formato *Casaubon:* argumẽto, est *progressus ab esse reali (quod aiunt) ad esse intentionale. Quæsi necesse sit (* inquis *) qualis reipsâ fuit Gregorius, talem etiam Baronio visum esse*. An hoc est progredi ab *esse reali*, ad esse *intentionale?* quinam quæso *ita aiunt?* Tui non *ita aiunt*; veteres *non ita aiunt*; recentes *non ita aiunt*; *Thomistæ, Scotistæ, Occamistæ, non ita aiũt*, sed *progressum à rebus ad voces* statuunt, argumẽtationem à *signatis ad signa*. Vt quia *Socra-*

tes

tes eſt homo,& homo eſt ſpecies, *Socrates* eſt etiam ſpecies. Sed tu *Gregorium* rem, *Baronij* de eo Iudicium,facis *intentionem*; vt oſtenderes quid olim inaudiveras in regulis *antepredicamentalibus*,de *progreſſu à rebus ad voces*.O Labyrinthæum logicum! pauciſſimi profectò norunt, tales tuo ſenſu *progreſſus*. *Caſaubonus* interim eſt in vado,& ridet ſecundum tuum in 4.figura (quia neſcis aliter concludere) ſyllogiſmum.

Baronius laudat Gregorianam adminiſtrandi Pontificatus rationem, quòd eam putet ad divinam gloriam eſſe relatam;

Gregorius autem gloriæ & potentiæ ſuæ ſtuduit.

Baronius igitur eam probat gerendi pontificatus rationem, quæ ad privatam Pontificis gloriam referatur.

Atqui Galeniſta (ſi dijs placeat)cũ additamẽto,vbi ita arguit *Caſaubonus*,ab *eſſe* ſuo *reali*, ad *eſſe* tuum *intentionale*? Aſſerit reverâ,*Baronium* laudaſſe iſtius Pontificis adminiſtrandi Pontificatus rationem,quem conſtat ex hiſtoricis fuiſſe *bipedum omnium nequiſſimum*. Sic ſe res habuit,vel vt exprimis tu ſcholaſticè, *eſſe* rei *reale*.Nonnè ergò mus perambulans in vacuo poteſt comedere *ſecũdas intentiones* tuas?

10 Sequitur 4ª exceptio;

Proponit Baronius Paulo 5° exemplũ Gregorij 7i imitandũ, ergo vult eum eius vitia imitari. Pag.11.

Argumentaris (inquis) *à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter*. At quid si respondeat *Casaubonus*, se *simpliciter* nihil agnoscere de isto *Gregorio* 7. præter vitia? an aliquid restabit tibi, secundum quod constabit tua solutio? Non erit exitus, si minutatim sic te premerem, hoc colligi tantùm potest, ex *Casaubono*; Quod tu *æquitatem, sanctitatem, constantiam*, in *Gregorio* esse interpretaris, *Casaubonus* rectè asserit *antichristianam* fuisse in *Ecclesiam*, & reges tyrannidem: hanc cum *Baronius* Paulo 5. proponat, reverà proponit vitium imitandum, quod opinione tamen non negat *Baronianâ*, videri potuisse *invictam* animi *magnitudinem*.

11 Quinto concludis, perperam *Casaubonũ* colligere, quia *Greg. 7. deposuit principes impios authoritate Apostolicâ: Ergo dominationis causâ eum omnia cædibus impleviſſe*. Pag. 11.

At vbi istud *Casaubonus* colligit? Scopæ sunt hæ tuæ dissolutæ, non *Casaubonianæ*, quibus ridiculè adaptas protritam superiùs distinctionem, *potuit deponere*, non *vt Dominus sed vt Minister*, vt *Iudex* scilicet armatus *authoritate regiâ*. Perinde ac si quis diceret, *Garnetus erat suspensus*, non vt *Iesuita*, sed vt *proditor*; *Eudæmon* mentitur, non vt *Cydonius*, sed vt *Cretensis*. An huiusmodi satisfaciant *Neapolitanis*, in re alicuius momenti titivilitia? ergo satis fuisset *Ravilliaco* regicidii immanissimi accusato, respondisse, se non *hastâ*, sed *cultello*, scelus patrasse. Queratur si quispiam de suffuratis

ratis pecunijs, distinguat fur, se non dextrâ illas (vt vsitato fit) sed sinistrâ surripuisse. Abominamur nos Antichristianam Pontificis tyrannidem, ostendis tu hoc *iure ministerii*, non *iure dominij* ab illis exerceri; factum nolumus omninò, tu obturabis ora, quia non est hoc modo factum. Ista scilicet est profunditas, & subtilitas Iesuitica, quibus omnes *dialecticos* in arenam provocant. Deniq; quod vltimo attexis, *Gregorium 7. ne verbum quidem habere, quo se regnorum Dominum esse significat, in tota illa sententia, quæ in Henricum Regem pronunciatur apud Baronium, anno 1080.* eiusdem est fidelitæ. Nam quid si ibi non habeat in tota ista sententia? & quis hoc affirmavit? habet tamen multoties, vt ostensum est alibi, quod *Casaubono* iusficit & te refellit, qui remigio elatus speculationis, Pontificem tandem non vt *dominum* sed vt *ministrum* despicies, à quo ni fallor hanc ob causam, non magnam inibis gratiam.

12 Cū *Baronium* constet, idē cum *Marta* reapse sensisse, & docuisse, vtcunque occultet veteratorie, quod vult præcipuè, nè incurrat principum invidiam; facilius erit de *Bellarmino*, idem confirmare, quem verisimile est à *Baronio* ne latum vnguem decessisse. In promptu fuit *Casaubono*, ex innumeris [a] *Bellarmini* pronuntiatis, illud ostendere. Annon latet aliquid sub illa illius acrimonia, vbi referens illorum sententiam, qui asserunt, [b] *pontificem, vt ponti-*

Pag. 12.

[a] Vid. Apolog pro Iuramēt. fidel. pag. 131. & Tort. resp. pag. 131. cum Tortura Elienſ. pag. 382.

[b] Lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 1.

ficem, & ex iure divino, nullam habere temporalem potestatem, nec posse ullo modo imperare principibus secularibus, nedum eos regnis & principatu privare, etiamsi illis privari alioqui mereantur, hæc *non tam* (iuquit) *est sententia*, quàm hæresis? & hæresis proculdubiò illius judicio periculosissima, quę[c] *summam rei Christianæ, primatum* evertit. Et licet titulo quidem tenùs, (vt tu asseris) *Papam non esse Dominum totius mundi*, Cap. 2, 3, & 4. l. 5^ti. *de Rom. Pont.* docuerit; in[d] sequentibus tamen, eò rem deducit, vt non sanior videatur ipsius, quàm *Martæ* sententia, sed cautior; eóque regibus periculosior, quò insidiatore, apertus hostis, hypocritâ, notoriè improbus, hæretico, paganus, sit minùs nocens. Quorsum enim *Augustinum Triumphum*, *Alvarum Pelagium*, & alios, quos refutandos Cap. 1. proposuit, cap. 5. tam studiosè ad suas partes trahit? Cur Antichristiana Pontificum facinora, excommunicantium, deponentium, transferentium Imperatores, & imperia, tã sollicitè ingerit, nisi intercessisset inter illius & *Martæ* opinionem aliqua saltèm cognatio? Imò seipsum prodit iratus senex, in præfatione *ad Barclaium*, *Quoniã* (inquit) *Barclaius, potestatem summi pontificis in temporalibus, universè negat, ego quoque potestatem eandẽ universè astruam, non multum laborans, sive ea potestas sit absolutè, vel in ordine tantùm ad spiritualia se extendat*; atque in eum finem pronisciuè ibidem citat, 22. *Italos*, 14. *Gallos*, 19. *Hi-*

[c] Præfat. ad controv. de summo Pont.

[d] Ibid. a cap. 6. ad finem l. 1

Lib. 5 de summo Pontif.

Ibid. c. 8.

Pag. 5.

Hiſpanos, 9. *Germanos*, 7. *Anglos*, è quibus *Auguſtinum Triumphum*, quem cum alijs conſutandum ſepoſuiſſet, lib. 5. de *ſummo Pontifice*, in ipſo frontiſpicio: hic in *Barclaium. pium, doctum, et beatum* deprædicat, ſed hiſce omnibus conſultò prætermiſſis, tria tantùm vrget *Caſaubonus*, ad inſtitutum ſuum maximè facientia, nempè *Lucubrationes* ab ipſo *Bellarmino* editas, contra *Paulum Venetum*, & *Doctiſſimum Barclaium*, vnà cum *Iudicio* eiuſdem, de *Iuramento fidelitatis*. De duobus primis, altum apud te ſilentium. Quid in chartulas iſtas ſtatuerunt, *Senatus Venetus*, quid *Pariſienſis Curiæ patres*, *Caſaubonus* innuit; ſed non libet tibi audire, non accedis igitur ad hunc ignem, ſed alio divertis. *Riſit* (inquis) *Bellarminus, cum audivit, Martæ ſibi commentum appingi, qui eum ceteris librorum cenſoribus eius librum improbârit.* Et riſimus nos effuſiùs, cum innotuiſſet, Cardinalis, Ieſuitæ, *Auguſtini* (vt tu loqueris) *huius temporis*, tanti ſcriptoris, in tanto fidei articulo, quæ *ſumma eſt rei Chriſtianæ*, ſcriptũ; à pontificijs, deferentibus, examinantibus, iudicantibus, decernentibus, exequentibus, in foro ſolenniter fuiſſe combuſtum. *Marta* autẽ fortaſſe à Cenſoribus non probatur, non quòd malè ſenſerit, ſed quòd temerè, quæ eſſent celanda, cum *Carerio* effutiverit. Nam huiuſmodi ſunt veſtra myſteria, vt lucem nõ ferant. *Nõ opus eſt ad iſta deſcendere* vt de *exemptione clericorum* alicubi habet *Tortus Cardinalis*, & *ſi-*

Ibid in prolegom.

In reſponſ. ad apolog. p. 135

lij tenebrarum sunt cauti, vt esse possint securi. Quid si igitur *Bellarminus*, aut *dominatum*, aut *omnipotentiam Pontificis*, vt ceteri forsan non ingerat? dum idem venenum propinet, cauenda est eò impensiùs fraus ipsius, non sententia excusanda. Quòd autem, haud aliter ac *Marta* sentit, ex te evinco, vt intelligat *Cardinalis*, quàm peritum nactus sit, è *Cheta* prævaricatorem. Non *nefas* (inquis) ducit *Bellarminus*, *iuramentum fidelitatis*, à *subditis Regis præstari*, *quia aliquo pacto obliquè & indirectè in temporalibus spiritualem Pontificis abnegat potestatem.* Illud potiùs displicet, *quòd ibi negatur Pontifici ius solvendi iureiuranda, quæ sine controversia, pars est Pontificiæ potestatis.* Vel quia talis est connexio, inter *spiritualia & temporalia*, *vt administrari Ecclesia in temporalibus, vix aut ne vix quidem possit, nisi cùm id bonum Ecclesiæ postulaverit, constituendi etiam de temporalibus, ius illi sit*; vnde cõcludis,

Pag. 13.

Pag. 14.

Qui id (hoc est ius in temporalibus) *pontifici directè negat, indirectè etiam illi spiritualem potestatem negat*: subsumo ego,

At Bellarminus ius Pontifici in temporalibus directè negat, (aliter enim cum *Marta* sentiret.) ergò

Lib. 5. de Roman. Pontif. cap. 2. & seq.

Bellarminus secundum te indirectè etiam Põtifici spiritualem potestatem negat.

Quod cum non sit à te concludendum, distinguendum est (vt dixi) de minore; negat verbis, so-

fovet ſenſum, negat oraliter, probat mentaliter, aperte negat, ex conſequente ſuadet, ſic vt cõveniat cum *Marta* in Italia, diſcrepet (ſaltèm dictis cauſâ) ab eodem inter Proteſtantes, præcipuè in Anglia: vnde egregiè diſtinguit, *Non poteſt Papa vt Papa, temporales principes deponere, tanquam Iudex Ordinarius, poteſt tamen mutare regna, & vni auferre, atque alteri conferre, tanquam ſummus Princeps ſpiritualis. Si id neceſſarium ſit, ad animarum ſalutem, & ſubtiliter determinat, habere Papam, non poteſtatẽ temporalem, ſed in temporalibus.* Exiſtimat forſan *Cardinalis*, ſe cum paraſitis ſuis rem habere, qui ſputum ejus lamberent, & vertiginis illius diliria quaſi è tripode acciperent. Num perſuadebit principibus, in tanta luce Evangelij, ſi ſubditos in illos armet, ſolijs deturbet, regna alijs conferat, modò non directà hoc fiet poteſtate in temporalibus, ſed indirectè, *iure miniſteriali* (vt tu loqueris) *non dominij*, vt ſponte cedant, & non iniuriâ ejectos ſe exiſtiment? Patientes neceſſe eſt vt ſint, qui in talib⁹ nenijs expendendis bonas horas collocarent; tu tamen pergis aranearum telas attexere,

Ibid c. 6.

In Barclaium cap. 12. p. 137.

Bellarminus vult ius eſſe Pontifici conſtituendi de temporalibus: Ore igitur pleno docet, eum vnum eſſe verè dominum, verè Imperatorem, verè principem.

At *hoc eſt* (reſpondes) *à genere ad ſpeciem affirmativè argumentari: quod in pueris quidem, aut ruſticis dialectica non eſt ferendum.* Et ferendũ

eſt

est tamen in patribus *Societatis Iesu*, cum quid proferant, non habent, vt fingant pro libitu vitiosa argumenta, quibus pueri vix dignarẽtur respondere? Verùm frequentius nihil est huic *Cretensi* nostro. Consulas *Casauboni* epistolam, & hujus argumenti non invenies voli aut vestigium: quãquam si sic arguisset *Casaubonus*, non difficile fuisset illud prestare, cũ indirecta Pontificis potestas, propter bonũ spirituale, ita principes emancipet, vt non scribant se reges huius, aut illius regni, tam *Dei*, quàm *Papæ* gratiâ. Etenim si displiceant Pontifici, expectent statim *virgam* tremendæ hujus potestatis. At indirectè respicit temporalia: at expedienda jam est, ob salutem animarum: at animæ, nostri principis culpa, non periclitantur: túne eris judex, aut summus pastor? At quid si cupidè, quid si malitiosè, quid si hæreticè ferret hic sententiam? non est qui ipsi dicat, *Domine cur ita facis?* Omnia igitur hic permittuntur Pontificis arbitrio; causam comminiscatur quando lubet, nullius est reprehendere; emittat Bullas, omnium est obtemperare; non citiùs tu directâ tua potestate regem deponeres, quàm ego hac indirectâ. Dicerem talem aut talem regem esse hæreticũ, statim omnia illius mihi subsunt, in ordine ad spiritualia, ergò excommunicetur, rebellent subditi, deponatur. Annon facillimum esse hoc *ministerio*, siue *indirectâ potestate*, omnes Europæ principes, intra biduum, aut triduũ regnis

Glossa Extravag. de sed. vacant, ad Apostolatus.

nis exuere? cum idem, accuſator, idem Iudex, idem executor, & bullia bella excitet ad nutum ſùmi impoſtoris? Hæ ſunt miraculoſę cóclusiones è Logica & diſtinctionibus Ieſuiticis. Vltimum quod adijcis maledictum, oſtendit te manifeſtò inſanire. Dum enim *Caſaubonum in regem eſſe contumelioſum*, conaris evincere, tã perturbatè & abruptè loqueris, vt *Delio* ſit opus *natatore*, *Mentitur Caſaubonus*, & *in regem eſt contumelioſus*, at qua in re? *Negat* ſcilicet *Iusiurandum fidelitatis, cum omnipotentia pontificia pugnare.* Quid rex? *Id non ita* (inquis) *negat: vt etiam profiteatur, quamvis neget iusiurandum illud, vlla ratione pugnare cum ſpirituali Pontificis poteſtate.* Quas malùm ambages hic narrare occipis? Optandum profectò eſſet, vt te non tantùm *aſſentatorem*, ſed *Grammaticum* haberemus; quo explicatiùs quid tecum murmuras, efferres. Sed hoc fortaſſe oggannis; quod appellavit Sereniſſimus Rex ſpeciatim *ſpiritualem poteſtatem*, *Caſaubonus* dixit *omnipotentiam* Pontificis. O acumen! hæc nimirùm eſt inſignis iſta *contumelia*: ac ſi per *ſpiritualem* iſtam *potentiam*, *omnipotentem* ſe pontifex non oſtendat, cum limitari velit à nemine mortalium, nec prætextus deeſſe poſſint, quibus temporalia quęcunq; torqueat pro ipſius arbitratu, ad inſerviendum ſpiritualibus. Pag. 15.

13 *Baronium* & *Bellarminum* ſequuntur, levis armaturę milites; quos tu non tanti facis, & ego in illis confutatos agnoſco. Interim vt

Le-

Lector hos à *Casaubono* nõ injuriâ nominatos intelligat, de singulis à Iesuita omissis pauca adjiciã. Antiquior videtur *Thomas Bozius*, qui non tantùm id agit præcipuè, in [a] *duobus* illis Tomis *de Centum signis Ecclesiæ*, & [b] in libris de *ruinis gentium*; vt fimbrias hujus *omnipotentiæ* per totum Mundũ dilataret: sed in tractatu de *Iure status*, conserte contexteque tradit, [c] *potestatem* (quam defendimus) *regiã, germen solum esse, sive effectum sacerdotalis potestatis*, & proinde *Iure naturali & gentium primævo, tam in sacris, quàm profanis* illâ esse inferiorem.

[a] Vid. Tom 2 Sig. 81, lib. 19. cap. 1 ed. Rom 1591.
[b] Lib 6. & 7. edit. Colon 1598.
[c] Lib 6 cap. 5 edit. Colon. 1600.

Sequitur sive ipsius frater sive cognatus (nã illud non constat ex scriptis) *Franciscus Bozius Eugubinus, congregationis oratoriæ presbyter*. Hujus libri titulus est, *de temporali ecclesiæ Monarchia, & iurisdictione, adversus impios politicos, & huius temporis hæreticos*. Ita blaterat abjectissimæ Antichristi verna, *politici* sunt *impij*, & *hæretici*, qui non procidunt & adorant *bestiam Apocalypticam*. Scopum verò totius inventi proponit in frontispicio hisce terminis; *Ecclesiasticam potestatem per sacerdotium, & regnum, divino, revelato, & naturali iure, esse omninò supra secularem, eamque à Pontifice, (salvo legitimo secularium principum dominio, & recto vsu, hæc enim sine iusta causa auferri non debent) exerceri posse, in foro exteriori, facultate etiam punitivâ, cum quis subesse noluerit, & contumax fuerit; non solum ratione letha-*

Colon. Agrip 1602.

In præf. p. 7.

lis

lis criminis; ſed ad virtutum quoq; naturalium, et ſupernaturalium cõſeruationem et progreſſũ, vſq; ad moralem quandam cautelã. Vt nimirùm ex vna parte, in ipſis virtutibus conſeruemur, & & proficere valeamus; ex altera ab iis retrahamur, quæ veriſimili coniecturâ, inducere *poſſint ad peccatum.* Reſeratur hic abyſſus totius myſterij, vbi *Papa* non tantùm *ſacerdos* conſtituitur, ſed *Rex*; (nam idem huic eſt[a] *Hierarcha* & *Monarcha* in *omnibus*, quia[b] *Petrus* non tantùm *ſucceſſit in ſacerdotio, ſed in regno Chriſti*) qui cum auferre poſſit regna, legitimis poſſeſſoribus, non tantùm *delicti puniendi*, ſed *boni conſeruandi cauſa*, non vt *malum evitetur*, ſed vt *bonum, quod ſibi videtur*, promoueatur; quid tutum eſſe poteſt, ab huius aut *pœnis*, aut *cautelis?* peiori profectò eſſent principes loco, quàm è *Magiſtris* noſtris nonnulli in Academijs. Hi enim ſunt *Regentes ad placitum*, ſed ſuum; principes verò ſunt ad placitum *regentes*, ſed ad illius tantùm, qui ob *cautelam* (ſi Dijs placeat) poſſit ipſos exregnare. Plura his iſte *Franciſcus Bozius*, quem tamen *prohibitum*, aut *purgandum* in *Indicibus* veſtris adhuc non invenimus. *Moſconij* ſunt ijdem flores ad ſertum Pontificis contexendum. Huic enim non ſufficit, quòd *Papa ſit à* [c] *papæ admirantis interiectione, quia in omnibus eſt admirabilis, ſtupor mundi, non Deus, non homo, ſed vtrumq;*: nec ſatisfacit, quòd ſit [d] *Pontifex* quaſi *pontem facient ad benè beateq; viuendum*; niſi [e] *Rex ſit etiam*

[a] L. 1. c. 2. p. 52

[b] Lib. 5 c. vlt. Ibid p 814.

[c] De Maieſt. militat. Eccl. lib. 1. c. 1. p. 22 edit. Venet. 1602.

[d] Ibid. p. 23.

[e] Ibid. p. 26.

f Ibid. cap. 4. pag. 95.
g Ibid. pag. 96.
h Ibid pag 97

etiam Regum & Dominus dominantiũ, f habens in toto mundo vtrumq; gladiũ, & imperium in omnes rationales creaturas, h Dulia adorãdus, quę fortassè *Marta* vix diceret. Nec *Celsus Mancinus* est ex hac parte, rectior aut rectior. *Bellarmini* enim *indirectum* excutiens *patrocinium*;

i De Iurib. Princip. l. 3 c. 1.

i liceat (inquit) *de Christi vicario similitudine quadam asserere, quod Plato in Timaeo dixit de Deo, Non est homo, non cœlum, non bonum, sed quid praestantius.* De *Tresbamo* genuinum Anglum, non degeneres transfugas consuluisses; quàm impiè & proditoriè concludit, *Reges haereticis favendo ipso facto regnũ amittere*, libro de officio Principis Christiani c. 5. sed *Garnets Apologista* k *Actionẽ in proditores* nõ legerit. *Pesantio* non *Doctori* tantùm *Theologiæ* & *vtriusq; Iuris*, sed *Comiti* etiam, & *Equiti*, idẽ accidit quod *Marta*. Cùm enim quęstionem

k pag. 23 edit. lat. Lond. 1607.

a In Comment. breu. in Thom. 1. 2 q. 208 disp. 22. De Immunit. Eccles.

propositam habeamus in a *Indice*. *An Papa habeat potestatem in vniversum orbẽ?* In b *Tractatu* de composito, expunctam reperies; credo quòd cum temerario vestro *Carerio*, *Eleusina* Antichristi *sacra* nimiũ apertè protulisset.

b Pa. 1414 edi. Venet. 1606.

Hanc etenim subijt sortem incautus *Marta*, essutisset forsàn aliquid in *Baronium*, aut *Bellarminum*: quoniam, quod imprimis volebant, non enucleatè satis proferunt, sed offuciarum involucris conabantur incrustare. Hunc igitur in finem, cum quatuor partes in folio, summo studio contexuisset; tres primæ amputantur, & quæ minimè ad rem facit, quarta solùm

emitti-

emittitur, prętereà cum *Paulo* 5. liber ſit primò nuncupatus, & citatur à *Caſaubono Epiſtola dedicatoria*; mutatur neſcio quo caſu iſta epiſtola, & eidē vt videtur impreſſioni, alia ad *Cardinalē Paravicinū*, aliud prorsùs agēs, ſubſtituitur, vt ſi examē ſubiret in poſterū, *Caſauboni* citatio, nō inveniret in *Marta*, quod fidē ipſi° liberaret. Iſtæ ſunt *pię fraudes* Catholicæ Eccleſiæ, *---Sic pugnat, ſic eſt metuendus Vlyſſes. Simancha* ſuccedit, tam celebris, quàm *Eroſtratus* apud *Epheſios*; [c] *Privari* vult ille *principes ſuâ iuriſdictione, vt Childericus à Zacharia, aut ab Innocentio 4°. quidam Portugalliæ Rex, ſi invtiles tantùm reperiantur.* Sed [d] *Franciſcus Verena Conſtantinus* planè tecum certabit de palma impudentiæ. Nam qui defendit regicidium *Iohannis Caſtelli* vt [e] *iuſtum* & [f] *heroicum*, *Decreta Celeberrimæ reipublicæ Gallicanæ* rejicit, vt abſurda & hęretica; [g] *Guygnardū* tuū Symmyſtam, iſtius excetræ apologiſtam, inter Martyres recenſuit, & hujuſmodi: præſcripſit illi methodum, & facem prætulit, qui *ſceleratiſſimam* iſtam pro *Garneto Apologiam* mundo proſtituit; *quâ proditores excuſaret, Acta publica infringeret, temulentum, Sodomiticum*, & *profligatiſſimum adulterū ſtramineo* quodam *figmento inter Martyres collocaret.* Hìc potuit (cui vacat) quiſpiam, *Parallelos* tuos in *Tortorem Torti*, *Iſoperimetris* & *Iſoropicis* rependere. In quibus tamen proculdubiò, tua nequitia præponderaret. Sed vt

Mogunt. ex Typog. Ioh. Albini 1609.

[c] Inſtitut. Catholi. Tit. 45.

[d] In Apolog. contra Arteſtum Parliament. in Ieſuitas Decem. 29. 1594.

[e] Part. 2. c. 1.

[f] Part. 3 c. 1. & ſeq.

[g] Part. 4. Part. 5. c. 10.

D. Abbot. Antilog. præf. ad Lectorem

primum hoc caput amputem, *Alani*, *Sanderi*, & *Philopatri*, revocat me *Triumviratus*. De quibus singulis pauciſſima ſunt adjicienda, quia rubetæ iſti fuerunt (vt in confeſſo eſt) à quibus Itali Cardinales toxicum ſuum hauſerunt. Ac *Alanum* quidem à *Richardo Sheldono* peſſimâ fide adductum afferis, *perinde quaſi doceat nihilo plus iuris in temporalia ſummo Pontifici eſſe, quàm quātum beneficio principum obtinet.* Quid de re non in promptu eſt quid dicam, cum ad manum non ſit liber, ſi talem vnquam ſcripſerit: Interim tu ſuppeditas reſponſum. Pontificius (vt agnoſcis) tum erat, & reverâ (vt loqueris) *infelix Sheldonus*; non mirum igitur eſt, ſi in tenebris iſtis Ægyptiacis, malâ fide (quod tamen factum non arbitror) quicquam egerit vel emiſerit? Tu verò cum fidiſſimum & doctiſſimum jam Chriſti ſervum, *apoſtatam* indigites: ſatisfacias (quæſo) ipſius *Motivis*, candidè & nervoſè ab ipſo propoſitis; & quāplurimos te longè doctiores, ad *Babylonem* tuam retraheres. De *politica* autem Pontificis *Ditione* ſive fraude acquiſitâ, ſive principum benignitate donatâ: videant hi quorum intereſt. *Alanum* autem, cùm ex te conſtet, poſuiſſe ova, quę excluſit *Bellarminus*, & diverſum nihil tradere: quæ de *Bellarmino* ſunt ſuperiùs prolata, huic applicentur.

In Generalibus rationib⁹ pro juramen. fidel. pag. 39. pag. 16.

Lond. 1612.

13 Secundus eſt *Sanderus*, vipera iſtâ nullo *Anglo* ſine execratione nominãda. Hunc depictum coloribus, habes apud venerandum

Antilog. ca. p. 23.

Abbat.

Abbottum, quàm scelerate vixit, quàm infelix proditor, inter *Hiberniæ* paludes, quæ nullum diu fovêt venenatum animal, atratam exhalavit animam. Hunc vt à *Marta* dissentire more tuo ostendas, primò arguis *Apologiam pro Iuramento fidelitatis Anglicè editã, immanis impostura*, cujus *qui eam latinè reddidit, depudvit*; *Casaubonus*, *non sine fœnore mendacio cumulavit*. Expectaret proculdubiò hic Lector aliquid dignum hiatu tanto; audiamus. Locus est *Sanderi* lib. 2. de *visibili Monarchia*, cap. 4. *Rex qui Pontificis authoritati*, se subijcere recusabit, *nullo modo est tolerãdus*. **The King that will not inthrall himselfe**, habet anglicè *Apologista*: & annõ hæc est immanis impostura? *Subijcere in servitutem*, pro simpliciter *subijcere*, **inthrall** pro **subiect himselfe**, substituere? En correctorem habebimus *Cretensem* preli Anglicani! cum exprimat *Apologia* rei indignitatem, secundum sensum vrgentis, significatu vocabuli non alieno; quia tuo non temperat palato, *immanis statim est impostor*. Tam ineptè hirriens hibris pinguem suam salivam evomit. Sed noverit *Apologista* discrimen, inter *legitimam subiectionem*, & *antichristianam tyrannidẽ*; pro posteriori dũ *Sanderus* intervenit, ipsius scopum per verbum **inthrall**, rectissimè expressit. Secundò, *Sanderus nõ vult reges regno spoliari, sed Hæreticos & Apostatas, idq; pastorum sententiâ*. At quis hic *ferat sententiã*, an hic vel ille princeps sit Hæreticus, aut Apo- Pag. 17.

ſtata? quis leges dabit *paſtoribus*, quid in ſententijs ferendis ſit ſequendum? Annon potiùs *Paulus* 5. quàm *Paulus Apoſtolus*? Tam anilia ſunt hæc febricitãtium ſomnia, vt neſcio quomodò *Tardieres veſtri* ad huiuſmodi tandem nõ nauſearent. Quòd ſi princeps *hæreticus* aut *Apoſtata*, regno ſit ſtatim exuendus, detrahãtur primo Pontifici ſua regalia, quem tam apertè convincimus ſummum eſſe *hæreticum*, & *apoſtatam*. Commodè hoc fieri poteſt, ſi placeat Dominis *Cardinalibus, Epiſcopis*, & *Senatui populoq; Romano*, *num tacitum quoddam pactum, inter vos & principes intercedit*, quo facilè poſſitis illos pro libitu commutare. Noſtri autem *conſcientiæ cauſa*, principibus obtemperãt, illos immediatè à Deo conſtitutos eſſe credunt; ſi piè regnent, ſumma eſt Dei benedictio; ſin in apoſtaſiam aut tyrannidem degenerent, *flagella ſunt Domini ad puniendà populi delicta*, vt rectè in *Paulum Calvinus*, & in illud *Petri*, *Superior ſi poteſtate ſuâ abutitur, rationem quidem olim reddet Deo, non tamen in præſentia ius ſuum amittit*: Tradiderat hoc anteà *Sigebertus* ex antiquorum faſtis, *Nimirùm, vt pace omnium bonorum dixerim, hac ſolùm novitas, ne dicam hæreſis, nec dum in mundo emerſerat, vt ſacerdotes illius, qui dicit Regi Apoſtata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum, quòd malis regibus nullam debeant ſubiectionem: & licèt ei ſacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen fide-*

Pag. 13.

Rom. 13. 5.

1. Pet. 2.

Chron ann. 1088.

Iob. 34. 18. & 30.

delitatē debeant, nec periuri dicantur, qui cō-tra regem ſenſerint; imò qui regi paruerit, pro excommunicato habeatur, qui contra regem fecerit, à noxâ iniuſtitiæ & periurij abſolvatur. noſtrâ igitur ex diſciplinâ ſubditi *pacta* nō vr-gent, ſed fundunt preces, Epiſcopi *monitis* a-gunt, non minis, *gladio oris* reſiſtunt, *non ore gladij*; ac reverâ mallent eſſe *aperto hoc pacto* ſubditi, quàm *tacito* veſtro reges; quo ſubijci-antur cenſuræ doliaris cuiuſvis ſacrificuli; Pō-tifici autem ſi diſpliceant, ſtatim per *paſtores* deponantur. Hæc eſt *Sanderi* ſanior *ſententia*, quæ à *Martæ* placito tam longè diſcrepat. Diſtinguit ſiquidē, (vt *Bellarminus;*) *Paſtores ovium Chriſti regnis temporalibus præſunt, ſed non propriè, non ex ſe*, ſed tacito *quodam pacto*, in ordine ad religionem. At *Caſaubonus* non vlteriùs vrget *Martæ* ſententiam, niſi quate-nùs concedit Pontifici ius, & *poteſtatem illimi-tatam in principes & ipſorum temporalia*, ſic vt hos deponat, aut illa diſponat, *vt ſibi videbitur in bonum Eccleſiæ Romanæ:* huc autem cùm a-lij accedant, vt ſerpentes, tortuoſo flexu, tu *iure miniſteriali, non Dominij, Bellarminus; A-lanus, & alij, indirectè non directè, non propriè et ex ſe, ſed tacito quodam pacto, reſpectu Chriſti & religionis*, vt hic *Sanderus*, quid aliud quàm Marta ingerunt? agnoſcit probè *Caſaubonus vulpium capita* poſſe eſſe *averſa*, quorum ta-men *caudæ* in *face* eâdem coeunt. Pag. 19.

14. Vltimus reſtat *Philopater* feralis proditio-

ditionum *Typhoeus*, cuius cùm (te asserente) non *dissimilis* sit à *Sanderi, sententia*, superior sufficit responsio. Nam quod ex illo adducis. *S. 2. num.* 158. tam exile est & dilutum, vt recitasse sit *confutasse*: sic enim arguit. *Potuerunt novi Christiani Iudices, authoritate Apostoli, per fideles constitui, exclusis Gentilibus, qui alioqui erant legitimi; ergo eâdem authoritate, ob eandem causam & finem, ab eisdem fidelibus, & ob eadem vitanda incommoda potuisse sine dubio ab alijs quoq; principes et reges legitimè sibi constitui, si vires Christianis fuissent ad rem exequendam.* Atqui logici nostri, & interpretes inter vos saniores, non didicerunt ex textu Apostoli tale antecedens elicere. Loquitur etenim Apostolus de profanis Magistratib⁹; torquet hic ad Christianos & Magistratus in genere. Id agit Apostolus, vt Christiani privatas inter se litigia potius componerent, quàm fratribus diem dicendo, apud infidelium tribunal maculam professioni aspergerent: *Philopater* rem deducit, ac si illegitima esset infidelium authoritas, quam[a] *Christus* tamē agnoscit, [b] *Paulus* appellat; Iudices autem, si suppeterent vires, à Christianis fuisse exauctorandos, quid à scopo Apostoli fingi potuit alienius? Vltimò addis, *Pontificem ferendo in principes depositionis sententiam, exigere tantùm à populis, quod Iure divino præstare ipsi per se tenebantur.* At quid si princeps apostataret inscio Pōtifice, vel connivente? numquid potest populus

1. Cor. 6.

a Ioh. 18. 36. & 19. 11.

b Act. 25. 10.

las illum excutere, non expectatâ Papæ ſententiâ? ſi ſic, tantum tribuit *Philopater* populo, quantum *Marta* Papæ; ſin aliter, Ius divinũ non valeat ſine permiſſu Pontificis: quæ quàm bellè ſonant in Chriſtianis rebuſpublicis, fideles iudicent. Interim probè proſpectum erit talibus principibus, qui *Sanderos*, *Alanos*, *Philopatros*, fovent ſubditos; *Baronios*, *Bellarminos*, & hujuſmodi audiunt Theologos; *Martas*, *Moſconios*, *Bozios*, cum illorum aſſeclis, *Iuriſconſultos* admittunt. Hactenùs autem cõſtat prudenter, doctè, & ingenuè, de *Pontificis poteſtate*, & ipſius aſſertoribus, *Caſaubonum*, quod res eſt attuliſſe, *Cretenſem* verò ridiculè, puerilitèr, impotentèr, quæ noluit, aut non valuit intelligere, ſuo more vellicaſſe.

Cap. 2.

Potestas Pontifici afficta, à parasitis suis, & Iesuitis, Principibus, & rebuspublicis est periculosa & pernitiosa: vt verissimè docuit Casaubonus.

1 QVò collimant Romę proxenetę. in *potestate Pontificis* evehendà, ex superiori constat velitatione. *Troianum* hunc *equũ* libentissimè collocat hic noster *graculus* in summa regnorum arce: reclamat, vt fidus civis *Casaubonus*,

Creditis avectos hostes, aut vlla putatis
Dona carere dolis Danaúm?

Prov. 30. 20. Ioc. 6. 14. *Sic nos* Iesuitę? *Mulier adultera* facilè os abstergit. In ore est pseudoprophetarũ, *pax, pax, vbi non est pax*. Iure igitur excitantur principes, vt ex factis estiment, quid facere proditores moliantur. Quos quomodò sopire satagit hic noster caduceator, vt *videntes* non *videant*, & *intelligendo nõ intelligant*; sequitur vt in hoc capitulo strictiùs eventilemus. Sit itaque thesis, vt à te proponitur. *An doctrina de Pontificia potestate, quatenùs à vobis defenditur, metuenda sit principibus, & rebuspublicis pernitiosa?* Quãquam *pernitiosum illud* rebuspublicis, de tuo

Pag. 10.

sit

fit, non à *Casaubono* expressum: quia tamen id etiam confirmant, quæ à *Casaubono* adferuntur, de assumento isto exegetico, litem non intendo. Age igitur, cum thesin astruat *Casaubonus*, exemplis & rationibus; attendamus quàm Logicè tu ista distruis. Sed expectandũ hic nobis est, per quatuor pœnè paginas, dum nugando noster *Dialecticus* dentes exacuat. Primò enim interponit, quàm *multùm Ecclesia Catholica Casaubono* debet, qui *suâ disputatione docuerit*, quàm *deplorata*, & *deposita* sit *nostra causa*; & quàm *destituti sumus omni virorum doctorum præsidio*. Deinde non ingratè accidit, *quòd quemlibet è Iesuitarum schola Theologum virum insignem voluerit esse; quia placet* (vt agnoscis) *vobis vestri nominis commendatio*. Pag. 21. Tertium verò *laudas* (quod hinc inde consarcinas ex *Casauboni* verbis) scilicet *vituperãdos esse eos, è quorum disciplina per consequutionum mysteria, cædes principum colligatur*. Inde quartò excurris in spineta logicorum de *consequentijs*. Pag. 22. Vbi acutè admones, non attendendum esse, *quid ex quo quisque sibi colligere videatur. sed quid reverà cui consequens sit*. Vltimò attexitur, non *communicanda esse multitudini*, quæ captum eorum superant, aut erroris ansam præbeant; sed ea tantùm, quæ nullum nisi *fungum aut stipitem inducere possint in fraudem*, atque hoc ex *Apostolo*, ex *Valētiniani* & *Martiani lege*, & *concilio Tridentino* tam studiosè munis; ac si in his verteretur cardo controversiæ.

Pag 23.

fiæ. Tandem tui memor, *vt ad rem* (inquis) *redeam*. Gratulor domino reduci! Tu, qui excitas, & difflas syllogismos, vt pueri in testa bullas; nec ambulas aut sedes nisi in *modo* & *figura*, propositâ quæstione discutiendâ, post quatuor pœnè paginas, ad rem demùm redis? Quid si jam *Casaubonus*, tuo more ad *amussim* propriam te restringeret, nonnè hæc esset concinna ratiocinatio?

Casaubonus ieiunè agit causam, laudat Iesuitas, non probat consequentias proditorias:
Sed attendendum est, non quid quisque infert, sed quid sequitur, nec obscura multitudini sunt communicanda. Ergo
Doctrina de Pontificis potestate non est metuenda.

Atqui familiare hoc est tuum in respondendo artificium, sivè illativè, sive narrativè, sive interrogativè quidpiam proferatur, parùm attendis. Syllogismus efformatur ad tuam vertiginem, cujus strophas, quas ipse intexeris, prolixis exagitas posteà ambagibus; quod in proclivi est, (vt vides) imitari, & labyrinthis tuis, te eodem modo involvere; si in rebus serijs ineptire tam ridiculè esset integrũ. Vt igitur ingenuè magis tecum agam, an *Casaubonus* in hac causa; sit te inferior, aut *nos destituamur doctorum præsidio*, doctorum est judicare, non tuum aliquid arrogare; præsertim cùm *Abbottus*, *Collinus*, *Burhillus*, expectent proximis nundinis, non vt *Crambem* (pro more)

millies *coctam*; sed aliquid sapidius reponeres. Quòd verò ita te titillat, *vestri ordinis commendatio*, reprehendendus non es; conscij enim sunt plurimi è tuis, quàm rarum hoc sit & præter meritum. At vide ne hìc subsit æquivocatio; *insignes* vos *indigitat Casaubonus Theologos*, forsitan arrogantiâ, impudentiâ, prodigione, mendaciis, *puta* (inquit) non puto *aliquem è vestra Schola Theologum*. Vnde quam tu aucuparis, non tam firmiter concluditur vestri *nominis commendatio*. Deindè quando *de consequentijs* discurrens, illud interseris, *multa prophetarum exempla, à te esse allata, ad confirmandam Pontificis potestatem*, qui (fatente *Casaubono*) *Reges deposuerint*; si locum citasses, responsum accepisses: nunc illud manet in causa, non consequens esse, *exempla ista confirmare regum depositionem*, quia *illa tu adduxeris, ad illud confirmandum*. Vltimum verò quod suggeris, de *mysterijs* quibusdam *celandis*; id ipsum reverâ est, quod de *Marta, Carero* & ceteris à te rejectis antèà monui. Strategemata *Mysterij iniquitatis* non sunt divulganda. Reges à Pontifice resilirent, si perspicuè quid sentit afferat, nempè *hæreticos esse regnis spoliandos*, & *penes esse Pontificem, quinam tales habeantur, solummodò pronunciare*. Nec video, quomodò *Purgatorium, Imagines, Indulgẽtias, Missam*, immò *ipsum Supremas tuas* magni faceret populus; si permissum esset linguâ vernaculâ horum omnium fundamenta

ta in Scripturis quærere. Robustioribus proculdubiò est proponendus hic *cibus solidus* (sive vt tuus habet Typographus errore non infelice) *olidus*; sed quomodò liberas reges ab objecto metu, *redeo ad rem*, tecum, vt perpendam.

2 Postquam fontem proditionum ostendisset *Casaubonus*, *Hildibrandicam* esse illam *doctrinam*, quam *Iesuitæ* incrustare fatagunt; pergit commodè ad nonnulla effecta delineanda, quæ inde ebullierunt. Verba ipsius sunt. *Atqui doctrina hæc, quàm sit principibus metuenda, evidentissime docent, tot intrà paucos annos, aut patratæ principum cædes, aut tentatæ; tot proditiones novæ, inauditæ, quibus nil simile priora vlla secula viderunt.* Argumẽtum tu sic contexis.

Pag. 24. *Multæ sunt paucis hisce annis à Catholicis, vel patratæ, vel tentatæ, potẽtissimorum principum cædes:*

Ergo metuenda hæc principibus est, de potestate Pontificis doctrina.

Respondes autem per ἀντεπιχείρησιν. *Lutheri* ac *Calvini spiritus excitârunt tragœdias eodem modo, in Anglia, Gallia, Germania, & locis alijs*; nec licet tamen à factis ad religionem argumentari, quia vitium hoc est *hominum* non *doctrinæ*. Certè aut deditâ operâ tu perversè agis, aut *animal* vix es *logicum*. An cùm ostendat *Casaubonus*, doctrinam vestram manifestò ad regicidia manuducere; hinc facinora ejusmodi,

ē emanasse, hoc principibus metuendum: nūquid non evicit liquidò, vitium hoc esse hominum per talem doctrinam? Sic vt homines vnquam ita obbrutiissent, nisi toxico istius doctrinæ fuissent priùs incantati? ergò cùm nostros nobis regeris, præmittenda erat nova doctrina, quæ institueret, vrgeret, abhorrentibus à tali immanitate animos faceret, vel præmia aut veniam proponeret; túmque in simili causa, eadem satis fecisset responsio. Adde quòd, quot proditores è nostris nominas, tot diabolicę viperini oris eructantur blasphemiæ. Nam vt de singulis aliquid dicam, quod omnibus pœnè est testatissimum. Constat ex actis publicis, *heroicum* illum vtcunq; *infelicem Essexiæ Comitem*, non vitæ Reginæ, aut coronæ struxisse insidias, vtcuuq; in privatis insultatibus persequendis, partim non leviter impulsus à *Pontificio* suo Socero, partim ab alijs seductus, eò delapsus est præcipitantię vt accersit° lęsę maiestatis, iustè perierit. Northumbriæ ducem vel *Regentem*, vel *Edvardi* Vid. Hollinshed. Foxum, Speedum &c.
legis pueritiæ insidiatum, vel de *professione no-*
stra magnoperè fuisse solicitum, incumbit tibi probandū; successoribus potiùs Regis, *insidiatus est*, quàm regi, vbi non tam *Mariam* exhæredatum ivit, quàm gloriosissimam *Elisabethā*. *Elizabethā* autē in sororē *Mariā* vel nutu aut nictu *conspirasse*, tam diabolicum est mendacium, vt mirum sit non computruisse ipsius linguam, & exaruisse manum, qui primùm

rùm illud extuleris; sed tibi fortitan est in deliciis *Sanderi*, *Philopatri*, & aspidum hujusmodi vomitum, quem tursus expuas, resorbere, qui jam cum stupore sentiunt, quantum intercedit *casma*, inter illos & beatissimam *Elizabetham*. Nec sereniſſimam *Scotorum* Reginam est quod Theologis nostris objiceres: acceptũ referat *Sammiero* symmystę tuo, quod istis tẽporum tumultibus dolendum acciderit. *Rauleus* adhuc est in vivis, Regis clemẽtissimi misericordiâ; consulatur si placeat, & respondebit, ad illud quicquid erat tentatum, à doctrina nostræ Ecclesiæ non fuisse illum inductum. De *Frãcisco* 2do, eiusq; *Germano* fratre *Carolo*, quid sentiendũ sit, curiosiùs non inquiro. Reginæ Matris cineres per me conquiescant, tantùm hoc interfero, *probatiores Galliâ historicos* virulentię tuę cõtradicere, *reformatos* liberare. Qui si eò insanię processissent; in promptu tamen est mea responsio, hoc non in fundamentis nostræ religionis, sed ex *puteo abyssi* emanasse. At *Calvinus*, *Beza*, & *Tomitanus* cũ *filium* iuierunt delendæ domus Regiæ. *Tomitanus* iste, quis sit nõ memini me legisse, nisi *Tomitanum* velis Patavinum Medicum, qui scripsit aliquid de *Morbo Gallico*; fortitan is etiam idem est, cujus expositionem in *Matthæum*, proscriptam à vestris invenio. *Calvinũ* autem, & *Bezam* tale nihil fovisse, tam notum est; quàm tales aliquid scripsisse. Itaque tam prodigiosæ calumnię tibi inhęreat stigma, donec

Catechis. Iesuit, lib. 3. c. 25

Pag. 25.

Serres Thuan.

Ind. lib. prohibit. Colon. apud Cholin. 1597.

nec fide aliquâ certiori, quàm *Cretensi*, confirmetur. Pro *Belgis* habes ipsum Regem *Hispaniæ* agnoscentem ipsos *liberum* esse *Populum*: quomodò igitur sunt proditores? De *Gallis*, *Germanis*, *Polonis*, *Suecis*, *Hungaris*, *Bohemis*, blateras tantùm, ex rumusculis more tuo. Quę si omnia essent, vt tu impudentèr narras, ne hilum cōducerent ad causam, nisi (quod impossibile est) priùs evincas, doctrinæ has esse nostræ *consequentias*, vt de vobis probavit *Casaubonus*. Si *Essexius*, aut quivis è nostris, sicut *Grantus*, aut tuus *Faukesius*, *tumens in peccato suo* (vt loquar cum *Cypriano*) facinus admissum laudasset, meritū jactasset, *Martyriū*, nescio quod, somniasset, conscientiâ pestiferę doctrinæ, à ministris nostris imbibitæ, ad extremū vsque halitū, seipsum indurasset; aliquid fateor adduxisses, quod facesseret nobis negotium; nunc verò cùm admissi puduerit, facti pœnituerit, veniam petierit, & sic vt fid⁹ Christi servus subivit pœnam, quam agnovit se meruisse; intelligas tu demùm, *Eudæmona* te esse *Cretensem*; hoc est nugivendulum quendam cercopithecum, qui præter mentiendi artem, ne guttam habet acuminis.

Vid. Baudium de Iudicijs Beu Belg. pa. 308. edit. 1613

De vnit Eccl. Ecclesiæ.

3 Nam quæ posteà de *ferali* isto *prodigio Ravilliaco*, respondes; symptomata videntur apertissima læsi cerebri. Vrget *Casaubonus*, præfractam istius *obstinatiam*, inter *quæsitissimos* carnificum *cruciatus*. Quomodo *Marianâ plenus*, de patrandi sceleris atrocitate, de patriæ

Pag. 16.

triæ orbitate, de Regis tanti jactura, de proce-
rum lacrymis, de populi ciulatibus, de omniũ
execrationibus, de salute propriâ, de tremen-
do Dei judicio, de dehiscente Inferno, nõ omni-
nò erat solicitus; quòmodo parricidium de-
fendit, rationem facti reddit, *Rex scilicet Pro-
testantibus in causa Clvienſi opem ferre para-
vit, qua Pontifici maximo rem ingratam face-
ret, ac proinde dignus esset, qui periret. Quia Pa-
pa est Deus, & Deus est Papa.* Vrget autem ista
Casaubonus hunc in finem, vt constaret vitium
illud fuisse, non tàm hominis, quàm doctrinæ;
secundum quam, jure, quod esset factum, fac-
tum esse asseruit. Didicisset siquidem pestifer
iste discipulus, quid magistri suasissent facien-
dum; *directè* verò an *indirectè*, *iure ministeriali*
an *dominij*, *propriè* an *impropriè*, de modo sci-
licet exequendi, non didicisset distinguere.
Tanti ponderis obiectioni operæpretium est
advertere, quàm masculè tu occurris. *Moneo*
(inquis) *ne temerè novitij dogmatis sacras lite-
ras arguas, quæ tam sæpe tamq; diserte, appellant
illos Deos, per quos res humanas administrat, ac
potestatem suam exercet Deus.* Ita *Moyses Deus
Pharaonis, Petrus Ananiæ. Quo potentissimus
etiam Rex noster delectatur* Eulogio. Atqui
conscientiam cuius hic appellem? tua vel hinc
apparet *cauteriata*. Num quærit hic *Casaubo-
nus*, an *Papa* sit dicendus *Deus*? vel potiùs cõ-
queratur, fascinatum sic fuisse, monstrum *con-
sequentijs vestris*, & *distinctionibus*, vt post tale

pa-

patratum scelus, se peccasse non potuisset adduci? habeat enim Pontifex per *Casaubonum*, quâ *Princeps* inter *Italos*, *politicus*, titulum *Dei nuncupativè*, vel vt Magistratus, vel vt Episcopus, habeat idem Eulogium, quâ *Antichristus*, eodem sensu quo attribuitur *diabolo*. 2. Cor. 4. 4. Secundò citatum ex *Actis* locum, non existimat *Casaubonus* magis probare, *Apostolos* appellari *Deos*, quàm *Spiritus sanctos*, secundum regulas *consequentiarum*, quas ille didicit. Meminit etiam postremò non in quavis pœnè pagina, regem inculcare, *Reges in divinis literis Dei appellatione insigniri*; sed ibi præcipuè & solummodò, vbi bestiam istam venatur, quæ *exaltat* seipsam *super omne quod vocatur Deus*. Interim festinantes obseruent logicam tuam infractuosam, quæ oppressa rerum mole, arripit detorto sensu vocabulorum lacinias; quibus ludos faciendo, lectorem adducas. Cap. 5. 4. Præfat. monitor pag. 64.

4 Dilucidiùs hoc constat, ex sequentibus in quibus *Ravilliaci* discursum sic instituis.

Quicunque aliquam ingratam Deo fecerit, is iure à quolibet interfici potest: Pag. 24.
Romanus autem Pontifex est in terris Deus:
ergo Si quis minùs gratum quippiam Romano Pontifici fecerit, iure potest interfici.

Hic *virus* (inquis) *est in propositione*. Libentissimè agnoscit *Casaubonus*: quem igitur feris? nec tamen propositio tam periculosè est venenosa quin vestris macerata *limitationibus*, propinetur vt salutifera. Verbi gratiâ, potest quis (præ-

cipuè princeps) qui rem aliquam ingratam Deo fecerit, à quolibet interfici, modò *deponatur & excommunicetur à Romano Pontifice, modò Pontifex illud præcipiat, aut permittat in Ecclesiæ commodum* forsitan & sic institutus erat *Ravillachus*, sed dùm rem attendit monstrum, excidérunt *limitationes*, rex perijt, & nô erat cur vrgeret *Casaubonus metuendam illam* esse *doctrinam*, in qua tanti constitit *Galliæ, Iesuitica restrictionis omissio?* Tu autem, qui tam multa *quæris & requiris*, respôde, si audeas, apertâ fide. Quid si tum cohibuisset manum iste Alastor, tantisper, dùm *Papa* regem excommunicasset, (quod secundùm vos fieri potuit) & deposuisset? num peccasset tum in rege obtruncando, post latam à Pontifice sententiam? Si affirmes, teipsum iugulas, sin neges, soliciti semper erint fidi subditi de doctrina vestra Satanica, & *metuendis* illius *consequentijs*. Nec vlcus hoc operiat siculneum (quod subijcis) folium. *Sermo est de summi Pontificis, in contumaces atq; impios principes potestate.* Quasi verò cum Pontifex sit reus, & arbiter, is non statim *contumax & impius erit*, qui in Antichristianam ipsius tyrannidem, mutire audeat. Sed exorto Evangelico jubare sagaciores (vt spero) principes, ad nutum vestri *Orbilij* non *solvent subligacula*. Æstiment siquidem ex potentissimo *Hispaniarum rege*, quàm tutum sit ipsorum sceptra, Pontificis submittere æquitati. Qui ob detentum *Siciliæ regnum*, filium tam

Pag. 21.

Vi Hen. 2.

cha-

charum, quotannis orco pœnitùs devovet. Quod obſtupui pœnè, quando tam impudenter deſcriptum apud *Baronium* legiſſem, & miratus ſum *Hiſpanos*, viros alioqui ſatis animoſos, permittere poſſe, & ſalutem regis, & reipublicæ dignitatem, ſub religionis prætextu tam ridiculè ludificari. Quid enim ſi Ieſuita aliquis, prolato excommunicationis tonitru, priuſquàm rex erat in integrum reſtitutus, regem obtruncaret? annon meritorium eſſet factum, ex veſtris *conſequentijs*? & præmio potiùs, quàm pœnâ huiuſmodi Pontificis pugil eſſet afficiendus? Quod vtcunq; nec adhuc factum ſit, & vt fieri poſſit, impium eſſet optare; cum tamen ne fiat, in placitis veſtris, non apparet obſtaculum, Iudices fero *Hiſpanos*, num *metuenda* non ſunt hujuſmodi *conſequentiæ*. Porrò cum ex ſubtilitatis tuæ benignitate, *Caſaubono* impertires *concludendi formam*, ac ſi perſpicaciſſimo excidiſſet ſeni, quod inter Academicos puer didiciſſet. Tam inſulſè prodis imperitam tuam fatuitatem, quàm is qui animi cauſâ ludos faceret. *Plumbea* tibi videtur *Caſauboni* argumentatio, cur? concludit ſiquidem *libros, qui ad paricidia impellunt, principibus eſſe metuendos*; at quid eſſet (te colligente) inferendum, *ergo ſcripta quibus ſummi Pontificis in principes poteſtas aſſeritur, ſunt principibus periculoſa*. Acu minimum rem attingis! non vulgaris eſt acuminis, *ſcripta pro libris, periculoſa* pro *metuendis* ſubſtituere, & tamen iſtæ

In reſponſ. Apolog. Baron. ad Cardinal. Colum. nũ. 6.

Pag 29.

Ex Iulio Pacio. Heidelb.

carbones, quia Iesuitarum sunt reliquiæ, vt reconditæ quædam gazę; sunt ab omnibus suspiciendæ. Pergis tu interim vt victor, & quia affirmasset verissimè *Casaubonus, mutatis rerũ appellationibus, quod prius existimabatur, & revera est ἄγος inexpiabile*, iam *facinus laudabile & meritorium* videri cœpisse; arripis tu illud è trivio. Verum est de *Buchanano*, *Knoxo*, & *Beza*: ac si *Buchananus* & *Knoxus Evangelistæ* essent nostri, & non potiùs regiâ censurâ *proditionum* (juxtà ac tui) *cinifliones*. *Bezam* dum talibus annumeras excribis tantùm, quod inveneris, in dictatis tuis, non quòd apud eum tale aliquid legeris. Quæ annectuntur de vestra aut *Mariana* sententia, eadem planè sunt cum superioribus, quibus millies à nobis est responsum: *Apud nos* (inquis) *non modò legitimo principi etiam tyrannice administranti, sed ne latroni quidem, aut parricidæ privatâ authoritate, vim inferre fas est*; & postea: *si quis sit qui illud doceat nullos habebit acriores, aut capitaliores hostes, quàm Iesuitas*, ac reliquos *genuinos Romanæ Ecclesiæ filios*. Sint ista vt dicis, de *privata & privatorum authoritate*, ridiculum esset si è nostris quispiam illud vobis impingeret. Novimus enim quàm vehementer contenditis, vt authoritas reges *excommunicandi, deponendi, interficiendi, respublicas invadendi, trãsferendi, distrahendi, (Catholico Pontificis imperio* sarta tecta conseruetur, quam vbiq; tuentur Iesuitæ, ne istam martyrij palmã ali-

Pag. 10. Βασιλ. δωρον lib. 2.

aliquis fortassè *Monachus* aut *secularis* præriperet, tam bellè concludit tua logica, non pugionem non venenum, non pulverem pyrium in principes esse expedienda, priusquam (referente Iesuita) authoritas Pontificis, & benedictio intercedat. Vt iste sit solum caput à quo distillent *catarrhi* ad omnia corporis membra, latentèr inficienda, & *regalis reservetur sanguis* ad *tingendam* solummodò ipsius *purpuram*. Erravit igitur *Mariana*, qui plus quàm par erat privatis concedit, privatus tantùm debet esse carnifex, qui prolatam à Pontifice exequatur, sententiam, (vt prudenter in *Barclaium Bellarminus*.) Hoccine est monstri quod *Gretserus*, *Heisius*, & communis tecum Pag. 7.
tuorum alit opinio? ne mireris igitur, si pius, doctus, perspicax, & perterritus, tot regicidijs senex *Casaubonus*, cum de *Hildebrandica* vos perfidiâ nihil remittatis, de *Doctrina* vestræ *consequentijs* perstare meticulosior.

5 Rationem reddit commodissimam. *Nõ tunc incipit* (inquit) *aliquis esse parricida, cum ad scelus patrandum manus expedit. Tunc tunc scelus contrahitur, quando incipit mens doctrinâ Mariana, & similium illius, corrumpi; & parricidij horror ac detestatio omnium hominum mentibus à Deo indita minuitur paulatim & labefactatur, quando mutatis rerum appellationibus ἄγος inexpiabile facinus laudabile ac meritorum incipit videri:* & (quod tu exagitandum excerpis) *scias hunc certum esse parricidam, cu-*

ius animus doctrinam parricidiorum magiſtram ſemel imbibit. Confirmat hoc ex *Ambroſio*, qui propoſitum perpetrandi ſceleris, ſcelus eſſe concludit; probat ex *Stoicis* & *Epicteto*, ex *firma perſuaſione*, quam ipſi προλήψιν appellant, *proficiſci, quacunque facta mortalium mirari vulgo ſolemus.* Illuſtrat ex *Calanis Indi*, *Barbararum mulierum*, *Mutij*, *Theodoti*, *Heroſtrati*, *Arriæ*, & (quem *Guignardus* & *Verona* tui tam ſtrenuè defenſitarunt)
Pag. 31. efferatiſſimi iſtius *Caſtelli* exemplo. Quid ad
32. hæc *Eudæmon* noſter? *Exempla* (inquis) *nō exagito, ne ſuperſtitioſiùs in te inquirere videar.* Ac
33. ſi *Imaginum cultor, & reliquiarum*, ſuperſtitionem adeò deteſtetur, & non potiùs *Caſtelli* commemoratio ſilentium maledico impoſuiſſet. Reliqua etiam eodem modo *cōtemneres, niſi Dialectica* (vt ludis) *Caſauboniana, myſteria te delectarent.* Gratulor tuæ paternitati, quæ dignabitur aliquando frontem exporrigere. Sed delicias tuas guſtemus, *Caſaubonum* argumentantem ſic introducis.

Voluntas perpetrandi ſceleris, admiſſum iam ſcelus eſt apud Ambroſium.

Eodem igitur iudice qui, parricidium laudabile duxerit, parricida iam eſt.

Quanquam tu mirio es mirificus, in aliorum argumentis concinnandis: tranſeat tamē hoc, vt à te efformatur. Quid inde reprehēdis? *Hac* (inquis) *in argumentatione nexus nullus apparebit, quo iungantur extrema; quàm eò inſania de-*

deveniás, vt aut appetitionem cum mentis assensione confundas, aut certè doceas quicquid ratio faciendum iudicárit, id à voluntate ineluctabili necessitate expeti. Ergo ad insaniam devenit te præside (quod blasphemum est asserere) doctor ille, qui eodem modo *Math.* 5. ex *ira* temerè *concepta*, & *concupiscentia illicitâ*, *homicidium* & *adulterium* contra *Scribas* & *Pharisæos concludit*: nec memini tamē Interpretem è nostris, aut vestris aliquem, qui de omisso propositionis nexu litem audeat intendere. At *appetitio* (inquis) *à mentis assensione est distinguenda.* Quid hoc ad institutum? Vbi hoc negat *Casaubonus*? Vbi de *eluctabili voluntatis necessitate*, vel χῳ̃ interponit? Armatur proculdubiò manus ad parricidium, cum animo semel sit persuasum, parricidium illud non solum esse licitum, sed meritorium; ista meriti opinio, si semel egerit radices, periculorum aut mortis metum facilè excutit Non igitur *sensum* & *rationem*, *appetitum* & *voluntatem confundit*: sed ostēdit solùm quomodo ratio effascinata parricidalibus vestris *consequentijs*, voluntatem ita seducat, vt occœcato conscientiæ oculo, belluæ instar homo, ad quodvis scelus prorumpat. Hoc fascino seducti persequutores existimabant se *Deo obsequutos*, dùm sanctos è medio tollerent. Eódem planè ducit *Soicorum* persuasio. Vbi tu imperitissimè nugaris dum *Casaubonum* asseris, *arguere à certa quadā persuasionis specie, firmâ* scilicet & *altâ*, *ad persua-* Ioh. 16. 2.

ſuaſionis ipſum genus, hoc eſt ad perſuaſionem non tam *altam* nec *firmam*. Vt enim omittam (quod ex textu patet) *Caſaubonum* de *alta* tantũ *firmaq́*, *perſuaſione* verba facere, & proinde a *ſpecie* ad *genus* (vt tu imperitè colligis) nullatenùs hic aſcendere. Illud peterem libentiùs, à *logicis tuis deliciis* quomodo *perſuaſio firma* & *minùs firma* vt genus & ſpecies differant. Nũ *diſpoſitio* erit in prædicamento genus *habitus*, quia hæc qualitas *firma*, illa minùs *firma*? Sed pulchrius innuis diſcrimen verſâ paginâ. Vbi argumentari à firma perſuaſione ad minùs firmam, perinde eſſe aſſeris, *ac ſi quod de homine*
Pag. 34. *dicitur de pecude etiam dicatur*. Vnde colligat quiſpiã quòd juxta *logicas* Ieſuitæ *delitias* ſubalterna ſint *homo* & *pecus*, nõ vt noſtri tradunt *contradiviſa ſpecies*. Age igitur, cum *genus prædicetur de ſpecie*, liceat etiam mihi ex tuis fundamentis ſyllogiſmum vnum contexere: major erit ex te tota,

Homo eſt pecus, ſubſumo
Sed *Eudæmon-Iohannes eſt homo*
Ergo Eudæmon-Iohannes eſt Pecus.

Placétne talium præmiſſarum fœtus? Nec pluchrior eſt iſta *perſuaſionis*, neſcio è quo ſtercorario ruſpata diſtinctio, *in ſpeculativè practicã* quæ *diſcentit*, & *probat*, ſed non *exequitur*; & *practicè practicam*, quæ cum opere ipſo conjũgitur. De poſteriori loqui *Caſaubonum* tam in confeſſo eſt, quàm apertæ ſunt cordatorum querelæ, de parricidijs veſtris nimis *practicè*

pra-

practicis. Nec enim permittunt vestri theoriã alicui in negotijs tanti momenti, qui praxin subterfugeret. *Sacramentum* potius (proh sce-lus!) *erit nexus*, per quem extrema hujusmodi connectantur, vt funestissima inferatur conclusio. Quare *illud Petri* (quod demùm subjicis) tam huic negotio quadrat, quam Bovi Ephippiũ. Vrget *Casaubonus* illius persuasionis periculum, quæ erroneo nitens fundamento, scelus amplectitur, pro martyrio. *Petrus* metu consternatus, *deteriora* quæ noverat, *sequebatur*, vt periculũ quod metuebat effugeret. vnde *exiens amarè fleuit*, dũ vestri indurantur ad extremum pœnè halitũ, ac si hujusmodi hecatõbis cœlum esset petendum. Sed de hisce fusiùs in sequentibus. Quare cum tot *voces sanguinũ* cœlum ipsũ penetrent, extent scripta quæ ista suaserint, memorantur parricidæ, qui patraverint, nos conquerimur, solamen non effulget aliud, nisi suspecta Pontificis benignitas, quãdiù non libeat principes excommunicare aut deponere: ridiculum esset si tu efficias, *practicè practicas* tuis argutiolis, vt vestra iu posterũ doctrina, non ex *metuendis* & *periculosis* effectibus, sed ex vestris hypocriticis offucijs, garrulis æquivocationibus, puerilibus limitationibus, æstimaretur. Mat. 26. 75.

CAP. 3.

Cap. 3.

Digressio in Stoicorum porticum, non peregrinantem in Philosophicis ostendit Casaubonum, sed vagantem & sese implicantem Iesuitam.

1 EX dictis cōstat, quàm prudenter se gessit *Casaubonus*, & impudenter *Iesuita*, in tyrannica Pontificis potestate, vel declaranda, vel æstimāda: pergit nihilominùs, & cū *Theologia* non succedat, divertit ad *Philosophica*. Quid agimus? *Asinina* hìc induenda est *patientia*, vt istas siliquas devoremus. Interea incautus lector tacitè hæc secum reputet: vidésne quomodò *Eudæmon Casaubonum* exagitat? quàm ingeniosè perstringit? Quid si non sit adeò nervosus Theologus, at dialecticus videtur acerrimus. Est igitur cur hoc nomine *Casaubonum* tuum vt *imperitum Grammaticum* pag. 7. *mendacem Grammaticum* p. 13. *rusticum dialecticæ*, p. 14. *assentatorem Grammaticum*, pag. 15. *parasitum Grammaticum*, pag. 24. *animal Grammaticum*, pag. 25. qui vltra *Suetonium* & *Lampridiū*, *pfittaci more loquitur*. Est cur ex *penitiore ipsius dialecticâ*, pag. 28. *mysticâ dialecticâ*, *abditâ dialecti-*

alecticâ, pag. 29. paginas impleret & ludos faceret. Quare nõ discedit ab hoc loco cõmuni, in hujus capitis frontispicio: sic enim incipit. *Quàm strenuum dialecticum in aciem eduxerit Rex Britannus, qui adversus Romanam Ecclesiam causam suam tueretur, superioris capitis disputatio satis declarat.* Ita *dialecticas* suas *intentiones* ambitiosè venditat, ac si ipse (vt alter *Aristoteles*) novum Organum parturiret. Agnosco fastum Iesuiticum, *quo Larvarum instar* (vt alicubi habet *Hieronymus*) *terrent parvulos, & in angulis garriunt tenebrosis*. Atqui non adeò (ò bone) imparatus est à logicis *Casaubonus*, quin ἑτερογενείαν, ταυτολογίαν, & ἀδολεσχίαν, inter sophismata enumeratas *apud Aristotelem* observaverit. Meminit octavo Topicorum *Elenchum esse quando Syllogismus quidem, concludit, non tamen ad propositum*; repetit ex *secundo Topicorum*, & ex *primo Elenchorum sophisticũ esse eò deducere, vbi argumentis abundemus*: in prõptu sunt ista ex *septimo, octauo, et nono* capitibus, *primi posterorum* si *Arithmetica Geometricè* tractes, *id est* ἀνάρρυθμον, *si geometrica tractes arithmeticè id est* ἀγεωμέτρητον, *ergo arithmetica arithmeticè, geometrica geometricè, mechanica mechanicè* (quod posteà etiã ingerit) iuxta logicorum leges discuterentur. Non septa professionum sunt transilienda, non philosophica Theologicis de composito sunt infarcienda. An non reprehenditur *Lycophron* apud eundem *Logices mystam*, cui cum *propositum esset*

In proœmio ad quæstion. Hebraicas.

set ex arte lyram commendare, in res alienas abiit? sed *Dialectica* Iesuitarum structura, *fœnum stipulam & fumum* (iure addam) & *fimum*, mercibus suis immiscet. Obiter annotasset ex *Stoicis*, in transitu tantùm *Casaubonus*, quomodò πρόληψις illa illorum, sive *alta mentis persuasio*, homines agat præcipites, ad quodvis facinus aggrediendum; quod rosisset anteà *mus* hic noster *Creticus*, vt patet ex clausula superioris capitis; sic vt istam cramben recoctam nemo sanus denuo expectaret: nihilominus temperare sibi non potuit, quin vt *logicæ* exhibuisset antea; ita *Philosophiæ* suæ præberet specimina; ad manum videtur fuisse *lectionem* aliquam *ethicam*. quâ sibi mirificè placuisset *Neapoli* vel *Patavij*; hinc ex levi aliqua mutatione, enascitur hoc caput *tertium*. Quo licet *peregrinantĩ* istum habeamus, ad nescio quas *reliquias*. Sequendum tamen est mihi, ad calcandas ipsius perniones.

2 Duo hic præcipuè objiciuntur, alterum, malâ fide relatam esse à *Casaubono Stoicorum sententiam*, alterum, *si vera sit*, (vt profertur) *ad rem non quicquam facere*. Quia non immeritò reprehenditur, primo à *Peripateticis*, secundò *ab ipsis Christianis*. Quod ad primum attinet *Stoici* (inquis) *non docebant, vbi semel honesti species animum occupârit, metum omnem earum rerum quæ vulgò terribiles habentur facessere. Neq; ita insaniebant, vt eum viderent magnitudinem animi, constantiam, fortitudinem, gravi-*

Pag. 35.

ta-

tatem, apud eos ipsos qui vitæ commodorumq́; suorum amantes sunt, in veneratione esse; non intelligerent, longè diversissimum esse quamvis altè insitum, in animis de virtutis honestatisq́; pulchritudine, Iudicium, *à mortis cruciatumq; cõtemptione.* At tu, vel insanis penitùs, aut contẽnendum est perversum animi tui *Iudicium*, qui refutandum tibi proponis, quod nemo asserit, & insciens confirmas adversarij sententiam. Nam quid hic è *Stoicis* adducit *Casaubonus*, quod Iudicium (vt tu colligis ridiculè) cum contemptione mortis confundat? annon hæc vt causam & effectum manifestò distinguit? vt quia judicio hoc vel illo modo sit persuasum, hàc vel illâ ratione pericula huiusmodi, vel metuuntur, vel contemnuntur? verbi causâ *Ravilliacum* aliquem, aut *Faukesium* aggreditur Iesuita, illum Babylonicæ superstitionis visco satis invenit implicitum, hortatur vt Ecclesiæ Romanæ causâ, regem hunc aut illum è medio tolleret; resilit forsan primò sicarius ad facti & periculi conscientiam; sed postquam acceperit à præceptore, ita facto opus esse, facinus esse meritorium, Catholicæ Ecclesiæ necessarium, probatum & laudatum à Theologis, æternitate donandum, martyrio coronandum, illicèt absorbetur terror intuitu præmij, contemnitur lucta, dum de bravio cogitatur. Nam persuasio rationem, ratio voluntatem, voluntas omnes facultates ita occupat, & intendit; vt nisi ἄνωθεν τὴν πήγην διορύττομεν, (vt appositè habet

Pag. 36.

bet *Casaubonus*) & persuasio ista vincatur argumentorum momentis, non deterrent sic animatos exquisitissima supplicia. In talibus Stoicam quandam περίλυπιν animadvertit rectè *Casaubonus*, quam dùm refellere præ se fert *Iesuita*, ita explicat & astruit prolixis ambagibus; vt facilè quivis intelligat prævolare ipsius pennam intellectui, vt nec rectè perceperit, quid *Casaubonus* senserit, aut ipse oppugnârit. Nam quid aliud vrget *Casaubonus*, quàm quod tu primò subjicis, ad enucleandam Stoicorum sententiam, *annitendum esse sapienti, vt inveteratâ anticipatus opinione error mentis corrigatur*, ne voluntas inde seducatur? quid firmiùs, quod ille vult, astruit, quàm secundò tecum asserere, *nunquam aliquem pericula subiturũ, nisi induxisset in animum ea mala non esse*. Tertiò locus ex *Epicteto* adductus, ipsius est sententia. *Mors non est malum, alioqui enim & Socrates (addo ego Granto et Faukesio, &c.) ita visũ esse; sed opinio de morte quæ malum eam fecit*. Illam quartò astruit tua interpretatio, *Tales existunt in vnoquoq; voluntatis appetitiones, quales de rebus, quæ objiciuntur animo, habentur opiniones*. Postremò nec aliud docent multiplicia à *Simplicio* & *Arriano* (quos tu solos habes authores) hunc in finem adducta exempla. Quàm strenuum igitur, sive *dialecticum*, sive *Philosophum* emiserint *Iesuitæ*, ad *paradoxa* ipsorum portentosa sophismatis pallianda, hæc declarat disputatio. Quâ attonitus miser (vt

Pag. 36.

Pag. 37.

Pe-

Petrus in monte) neſcit quid loquitur, ſed quã ſuſcepiſſet refellendam, comprobat ſententiã. At expedire ſe tandem ſperat, diſtinctionis cujuſdam adminiculo. *Notitia* (inquis) *eſt duplex apud Stoicos, quæ in actione ponitur, vel ſpeculativè practica, vel practicè practica*: quæ revocant mihi in mentem *Toleti* tui elegantias ex noſtro *Suiſet* hauſtas; quòd *latitudo formarum ſit vniformiter, difformiter, difformis*; vel *difformiter, difformiter, difformis*: haud alijs glandibus *difformiter, difformiter, difformibus*, ſaginat hic noſter *profeſſor*, famelicos ſuos auditores; ad quas ne nauſearent in redivivo hoc artium flore, habentur hæc (inquis) apud *noſtrates Scholaſticos*. At vbi (quæſo) ſic diſtinguunt veſtrates *Scholaſtici*? Scientiam in *ſpeculativam* & *practicam* ſecundum *Ariſtotelis* præſcriptum, tribuunt *veſtrates Scholaſtici*; *ſpeculativè* frequenter, & *practicè*, vt differentiæ ſatis oppoſitæ inveniuntur apud *veſtros Scholaſticos*. *Scholaſtici* has à fine deducunt, vt *notitia ſpeculativa* acquieſcat in cognitione, *practica* extendatur ad *actionem*; hæc, *actiones immanentes*, illa *tranſeuntes* pro objecto reſpicit, ſed qui ita *iungat vulpes*, & *hircos mulgeat*, præter *Græculolatinum* noſtrum *Scholaſticum*, vix invenies aliquem apud veſtrates *Scholaſticos*. Hic verò ita *practicè practicatur* in ſpeculativè practicis, vt ignorantèr doctus, logicè illogus, ſubtilitèr obtuſus, cum ratione inſanire videatur. Lambatur enim (obſecro) hic te-

In 4. phyſ. q. 12.

Lib. 1. Metap c. 2. & l. 6 c. 1.

Greg. de Val. ad art 4 q. 1. Primæ part. Tom.

res

Pag. 38.

res cerebelli tui fœtus. *Speculativè practica* secundum te, est *illa notitia quæ in sola veritatis cõtẽplatione cõsistit, neque ad actiones progreditur. Si solà cõtẽplatione cõsistat*, quomodo non solùm *speculativa*? Si ad *actiones nõ progrediatur*, ostendas quomodò sit *practica*? ita miser λογοπολόγος suis lactibus implicatur. Rursus *practicè practica cum opere ipso coniungitur*, pulchrè! ergo *practica* rectè dicitur *notitia*. Sed quare *practicè* additur? An quia notitia est aliqua *practica*, quæ non agit *practicè*? Hoc est, *practica* aliqua *notitia*, quæ non est *practica*? Sed præsentio rimulam per quam es evasurus: differentia (dices) hæc sumitur ab agendi modo. Nam alia est *practica notitia* quæ operatur *practicè*, alia quæ intuetur tantùm *speculativè*. At rursus sic impingis ad eundem scopulum. Nam *notitia* quę speculativè tantùm agit, quomodo nõ tantùm erit *speculativa*? Ergo non *practica*. Opus est hic profectò *S. Snuthuni benedictione*, & *signo crucis*, quibus *fracta* pauperculæ *ova* solidavit, vt termini horum membrorum inter se cohęreant. Sed tamen hoc ad salivam tuam ita facit inventum, vt capite superiori *persuasio* erat *speculativè practica*, & *practicè practica*, hic *notitia est speculativè practica*, & *practicè practica*, ac si notitia esset ipsa persuasio, & nó potiùs persuasionis fundamentum. Verùm si distinxisses ita de *Iesuitis* tuis, quod hi sint *speculativè practici*, nempe *Bellarminus, Garnetus, Ribadeneira, Mariana, Sa*, de quibus posteà, qui

Martyrol. Angl. I. W. Iul. 2. p. 178

qui ſpargunt ſemina proditionum, exacuunt cultros, exiccant pulverem pyrium. Illi verò *practicè practici*, vt *Caſtelli, Faukeſij*, qui opus ipſum aggrediuntur: accomodatiores fuiſſent ad rem ipſam termini. Quanquam ſic etiam *Caſaubonus*, pro ſua quâ pollet in criticis acrimonia, vt barbarum te exploſiſſet. Oſtendiſſet ſiquidem, quomodo *Theoriam* à *praxi*, artem ab artis vſu diluciduis ſeparaſſes. Nã hoc tantùm eſt quod habet *Epictetus* bis eâdem pagi- Lib. 1. c. 30.
nâ à te citatus, *non in doctrina ſola eſt quiëſcendum, ſed ſtudium & exercitatio eſt adiungenda. Recta opinio ad vſum eſt conferenda. Niſi labijs tantùm vti placeat, & aliorum decretorum interpretes eſſe velimus.* Sive igitur *in pauca*, ſive in multa rem ipſam conferas, nil ampliùs efficies, quàm quod rectiùs expreſſit *Caſaubonus*, mentem ſpecie pietatis occupatam, pericula aut contemnere, aut negligere, quę non ſolùm eſt *Stoicorum*, (vt ex te conſtat) ſed ſi rectè intelligatur, veriſſima ſententia. Lib. 2. cap 9.

3 Conſtabit hoc ex refutatione eorũ, quæ tu opponis, iſta autem ſunt tria. Primò (inquis) *ſi vera ſit* hæc *Stoicorum ſententia, ad rem tamẽ non facit*: ratio eſt, *quia plerunque evenit vt cũ honeſtatem adamemus, in morte tamen & doloribus multum ineſſe mali credamus.* Hoc ſi concederet *Caſaubonus*, tamen quod vult obtinebit; non enim metum ceſſare aſſerit, quia *mors naturæ humanæ deſinit eſſe terribilis*, ſed quia terror iſte excutitur, nec deterret animum, abrep- pag 39.

Pag. 40. tum cogitatione consequentis præmij. Pergis secundò, *aut ista persuasio tam altè insita est, in cognitione speculativè practica, aut practicè practica*: si *primũ, aberratur à Stoicis*, si secundum, *nõ ex libris accipitur, sed inductione quadam animi ad exequenda Philosophorum præcepta cõparatur*. Nunquámne desines ineptum hoc tuum commentum ridiculè venditare? Præsertim cùm, quo frequentiùs hoc ingeris, eò te apertiùs prodas. Anteà (vt annotavi) *persuasio erat speculativè practica, et practicè practica*, posteà, *notitia erat speculativè practica, et practicè praca*. Nunc *collocatur* tãtum *hæc persuasio in cognitione vel speculativè practica vel practicè practica*: quod nescio cur tam variè proponas, nisi forsitan hìc lateat nucleus totius tuæ Philosophiæ, *& hoc ego primus vidi*. Sed ista transeant. Persuasionis hujus tam *praxis*, quàm *theoria*, in vestris scriptis pestilentissimis traditur, vnde *inductio est* à doctrina in libris comprehensa, nec indiget (vt tu somnias) *diuturnâ exercitatione*; nisi illâ forsan, quæ in vestris legendis, & imbibendis consumitur. Annon ridiculum est asserere, non potuisse *Socratem* mortẽ constantèr obire, priusquam sæpiùs moriendo animum obfirmasset? aut monstrum aliquod, principem obtruncare, nisi exercitata fuerit mens, & manus, in talibus negotijs? supinè igitur hallucinaris (mi Græcule) *firmitas persuasionis* dependet à rationum momentis, quas mens occœcata non potest refutare; has inveniunt

ἀπονίκιον Zabarel.

niunt ignari in vestra doctrinâ, vnde facilè inducuntur vt quodvis scelus aggrediantur. De *Adulteris* verò & *furibus*, quod vltimò subjicis, ratio est longè diversa. *Vident* illi *meliora probantq́*, sed reluctante, vel saltem non probante conscientiâ, *sequuntur deteriora*. Vestri autem sic instituuntur, vt aspirent (sicut *Martyriani* aut *Circumcelliones* in primitiva Ecclesia) per *talem Græcanicam* (vt habet Epiphanius) *iniquitatem*, tanquam ad beatitudinis cõpendium. Vnde facilè inducuntur, vt pro tali laude & præmio, animas paciscantur; Patet igitur *Casaubonum* de *periculosissima* hac *Stoica* [illegible], appositissimè philosophatur. Te verò in professione (vt videtur) tua, aut scienter rixatus, aut ignoranter, quod oppugnas, confirmasse.

Epiph. in Hæres. 80 Massilian.

Aug. de hæres. ad Quod vult Deum. hæres. 69.

4 Secundò *sapientiam hanc Stoicorum magnificè desipientem à Peripateticis meritò deriderii asseris*. Ideóq; perperàm hoc loco à *Casaubono* astrui. Vt strictiùs quæ occurrant in hoc capite percurram (vtpote quæ ex dictis satis refutantur) qui *Peripateticos* & *Stoicos legerint*, & in hac controversia intellexerint; liticulam hic in verbis observant, sed in rebus ipsis consensum. Consulas *Lipsii* tui *Manuductionem*, & habebis ex *Diogene Laertio* ἀπαθῆ dici à *Stoicis sapientem*, non *quia affectibus carent, sed διὰ τὸ ἀνέμπτωτον εἶναι*, quia *stabilis est*, & à *lapsu remotus*. *Sentit incommoda, sed vincit*, (vt rectè *Seneca*) vnde addit *Lipsius ab hoc*, *e-*

Lib 3. dissert. 7.

Epist. 9.

ius ἀπάθεια, *non ab illo, ducta et dicta.* Quo mol-
Lib. 2, Allegor liendum etiam est illud, quod *Moysi* impingit *Philo Iudæus, excludendam esse iram, non reducendam ad mediocritatem*, non vt non sit naturalis affectus, sed vt non permittatur esse molesta perturbatio. Quod si *Lipsius* apud te nullius sit æstimij, quòd *Criticus* sit, (iuxtà ac *Casaubonus*) & *Grammaticus*; quid respondebis
[a] Mor. Philos. grad. 1. c. 25. [a] *Francisco Picolomineo*, professori apud *Patavinos* non obscuro? ille te docebit ex [b] *Augustino*, litē inter *Stoicos* & *Peripateticos in vi rerum* non esse, sed *vocabulorum sono*; docebit ex
[b] De Civ. Dei lib. 9. cap. 4.
[c] Lib. 4. de Finib. [c] *Cicerone*, *sola novitate verborum ab Academicis & Peripateticis dissentiri*: Distinguet ex
[d] L. 19. Noct. Attitar. *Epicteto* tuo (*referente* [d] *Gellio*) *perturbationum hasce commotiones in* φαντασίας, παθῆ, & εὐπαθείας: è quibus παθῆ tantùm, à *Stoicis* rejiciuntur, non φαντασίαι aut εὐπαθείαι, vt confirmat illa historia de *Philosopho Stoico*, in tempestate ex-
[e] Loco vbi supra. pallescente apud *B.* [e] *Augustinum*. Sed cum tua non extendatur philosophia extra *Arriani* aut *Simplicij* pomœria, ex his non rectè pensitatis, aut intellectis, committis inter se illos Philosophos, quos infimæ classis studiosi in nostris Academijs, didicerunt (vel ex tuis) optimè cōsentire.

5 Quibus ita rectè explicatis, corruunt ea
Pag. 41. omnia, quæ ex *Theologis* accumulas. Nam si *Theologi* consentiant cum *Peripateticis*, *nec à Peripateticis* dissentiant *Stoici*, ex elementis
[f] 1. Pronun. 1 habeas *Euclidis*, [f] *Quæ in aliquo tertio conveniunt*,

niunt, ea inter se etiam convenire. Sed reclamat (inquis) *Beatus* [g] *Hieronymus*, qui in *Stoico hoc decreto fundamenta hæresios Pelagianæ, iacta esse arbitratur.* Sed quid si ego *Augustinum* opponerem, à *Lipsio* & *Picolomineo* citatum? Cui in *disputationibus iuxta* [h] *glossam vestram* major fides est adhibenda? verùm commodior est responsio, *Stoicos* in ἀπαθείᾳ sua *asserenda*, inter se esse varios.[i] Prędicata est ista *Stilponis*, *Pyrrhonis*, *et Timonis*, *inflexibilis*, & *canina torvitas*; quos meritò exagitat *Hieronymus* vt *hæreticorum patriarchas*, & *Pelagianismi* σπερμολόγους. At *Senecam*, *Epictetum*, & alios humaniores animadvertit *Augustinus*, sic vt affectus non penitùs averruncent, sed *iniectis* quasi *lupatis*, vnà cum *Peripateticis* coerceant. Iā causam harum perturbationum, esse *lapsum Adami*, aut remedium, *gratuitam* in *Christo gratiam*, vt intelligerent *Ethnici* palpantes in noctis vmbra, non perducere illos potuit humana sapientia. Quare tam ad institutum est illud, quod de *libero arbitrio* immisces, quàm ad explicationem *Ezechielis* salutaria tot *Villapandi* tui importata *Geometrica*. Qua quidem in re si libuerit etiam mihi, quæ in promptu sunt, convasare; irritarem in te *Cabreram*, *Nugno*, *Navarette*, *Cumel*, *Ripam*, & talia fraterculorū examina, qui te de *arbitrio* hirrientem, tantùm non cum *Suarez* tuo, ad *Pelagianorum* castra relegarent: illi non dicerent *Calvinum satellitem* esse *divinæ gratiæ*, vel (quæ tua est e-

g Ad Ciesiphontem.

h Dist 9. Can vt veterum ver. Græci.

i Cicero. li. 4. Acad quæst. Pli. lib. 9. c. 19.

Pag. 42.

43. loquentia) *carnificem*, sed hæreticos esse *Iesuitas*, qui non tantùm bona nostra opera inter gratiam & naturam dividunt; sed primas ita naturæ deferunt, vt gratia sequatur divina, &
44. quasi illi ancilletur: quod si, (quod tu posteà subtexis) *Nemo vnquam non modò quicquam fecerit naturæ viribus, quod ad veram pietatem conducat; sed ne virtutis quidem moralis amore, diu cupiditatibus repugnaret.* Quid respondebis
Tho. 12. q. 114 ar. 6. Bellar. lib. 5. de grat & lib. Arb t. cap. 9. tuo *Andradio*? Quid *Scholasticis*? qui tam solicitè astruunt *meritum de congruo*? Quid recentioribus, qui nostros calumniantur, *quòd opera infidelium peccata esse contendimus*: quia nec à fide sunt, nec ad proprium finem referuntur. Sed tu *Andabatarum more* pugnans clausis oculis non intelligis quos feris, nec quomodò te vulnerat adversarius.

6 Hoc ipsum docent luculentiùs, quæ in *Peregrinatione tua* instituta deinceps consarcinas. Vbi dum rationes has enumeras, quæ
45. 46. 47. ἀναθέσεις hanc inducant *Stoicam*. Primò, *persuasionem*, *quòd in morte nihil insit mali*. Secundò, *indulgentiam de bono aliquo adipiscendo, aut malo evitando*. Tertiò, *Iracundiam*. Quartò, *stuporem*. Quintò, *inconsultam cupiditatem, ac mentis ad alia cogitanda avocationem*. Sextò, *doloris impatientiam*. Septimò, *vindictam*. Præterquam quod *entia* (contra placitum Philosophorum *sine necessitate multiplicas*· tot *Casaubono* porrigis funiculos, quibus teipsum strangulet. Nam qui sunt ij, qui id agunt soliciti-

citiùs quàm Mangones veſtri, vt *Aſſaſſini* à vobis inſtituti, nil in morte mali eſſe cogitent? *Exercitium* veſtrum *ſpirituale*, & *piſtrinum meditationum*, argumento hic ſunt *proſylitis* veſtris notiſſimo. Quos non admittitis in veſtrũ ſodalitium, priuſquam *interrogationibus*, *panegyricis*, *Ieiunijs*, *pentachordis veſtris diſciplinis*, lapideſcunt penitùs, & ad omne facinus ſubeundum evadunt proiectiſſimi. Iam verò *Induſtrio* iſta de *bono adipiſcendo*, & *malo evitando*, facilè ſuadetur; cum cogitet ſic præparatus tyro, de *purgatorio*, tali ratione *evitando*, de *Martyrij corona*, de *Angelorum & ſanctorum conſortio*, de *nominis fama* & *canonizatione*: quæ non tantùm exquiſitiſſimo verborum apparatu, & miris geſtibus iuculcantur; ſed etiam (vt altiùs hæreant) *picturis* ad vivum exprimuntur. Ita enim *Franciſcum Ravillacum*, ad *Henrici Magni* paricidium, à veſtris inſtructum deſcribit *Gallus* quidam. Iracundiæ autem incendia, qui folles magis excitant, quàm calumnioſiſſimæ veſtræ in reformatos declamationes, quibus aures & animos veſtrorum quoviſmodo irritatis? Proponitur iſtis patria à tyrannis, & hæreticis oppreſſa, proponuntur fratres, ſorores, parentes, à feris aut equuleis diſcerpti, templa in ſtabula, aras in haras, ſceleratiſſimè converſas. Cui autem ſanguis circa cor non ebulliret, cùm *Deum* audiat conſtitui *authorem peccatorũ*, *ſanctos ludibrio expoſitos*, *Eccleſiam contemni*, *patres excludi*, *concilia non nauci haberi*,

Vid. Ricold. Florentin de Aſſaſſinis Saracenicis in propugnac. fidei adverſ. Alchoranum. Everard. Britan, Rom. c. 30.

Delphis apud Ioh. Bibliopolam. & Lond. Angl. edit. 1610.

beri, tot animas fratrum & sororum, huius vel illius principis dementiâ, in abyssum præcipitari? Cogitet hic statim seductus miser, de *Ehudi* aut *Phineæ* zelo, difficultates nō causatur, mortem, transitum esse putat ad beatitudinem illam assequendam, ad quam anhelat animus, putat tot animas interfectorum, vindicem ipsius pugionem aut venenum, aut pulverem pyrium inclamare, cuiusvis moræ est impatiens, ardent oculi, tinniunt aures, pruriunt digiti, ne alter pari incensus zelo, aut stimulatus gloriâ, palmam ipsi præriperet. Sed *non facile hoc fit in multis* (vt rectè tu citas *ex Aristotele*) *quin cō-stituendum est sibi vivendum non esse, nisi rem confecerint.* Atqui dum talis adhibetur disciplina, vt anteà à me describitur, quæ *irrationalem* sic inculcat *obedientiam*, vt rationem præcepti non quærat, sed præcipientis solùm authoritate nitatur; excluduntur plures proditionum pulli, ad quodvis scelus parati, à talibus ovis; quàm suppeditare potuissent antiquis omnes *Stoicorum porticus*. Illis siquidem defuerunt, & farcula & ligones, quibus affectus tā commodè eradicarent: non adfuit authoritas, non descriptæ fuerunt regulæ, non comperta erat methodus, non explorata praxis quâ melancholicum aliquem, aut morosum, in *Diogenem* aut *Timonem*, vel (vt vestræ jubent *constitutiones*) *in cadaver aut senis baculum, quæ quoquoversus se ferri sinūt*, commutarent; at vobis ita obstetricatur hæc *cæca obedientia*, vt massam

Part 3. c. 1.

sam vestram ad libitum possitis efformare. Celebratur inter *Franciscanos*, *Massæus* non quia versabat (ut *Diogenes*) *dolium*, sed quia ipse *volutabat*, *vt parvulus* (teste *Sedulio*) præcipiente *Francisco* ex textu, *nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli.* Nec minùs obsequens fuit iste *Mucius* apud *Cassianum*, qui ad imperatum *Abbatis*, plorantem suum filium in flumen præcipitavit, & mersit. Stupidiora sunt illa de *Ruffino* & *Iunipero*, qui *nudi* suggestum *conscenderent*, & *prodigiosa* (vt loquitur *Sedulius*) *obedientiâ*, talibus phreneticorũ delirijs, omnium sannis & cachinnis se propinârunt. Ceterùm στοιχώτερος videtur, vester *Gonzaga*, qui dolebat si quis eum amabat, & accepto nuncio de patris morte, non indoluit omninò, sed nunc (inquit) *nil obstat quo minùs possim dicere, Pater noster qui es in cœlis.* Et ne multus sim in hujusmodi nugis, quis non obstupescit planè, ad *Throgmortoni* nostri *depradicatam* à vobis *obedientiam*; qui in articulo mortis nolebat animum obire, non impetratâ à superiore veniâ. Sed *Barcæna* vester omnibus palmam præripit, is enim *Diabolo* advenienti *occurrit obviam*, petijtq; vt Cathedram ejus occuparet, quia erat dignior. En egregios fructus *cæcæ* istius *obedientiæ*, quam sanctus vester *Ignatius* tam solicitè suis præcipit! Si cum *angelo iniisses colloquium* avocante superiore, actutùm est obtemperandum. Si *Beata virgo* suâ præsentiâ fraterculum dignaretur, interpellante vel

Lib 3.c.1.

Collat.I 4.c. 20.

Lib.2.c 5.

In eius vit.p. 346 & 187.

Everard,c.5.

Relat. Diego Tornez. edit. Venet 1604.

Epi^a, ad fratres in Lusitania.

vel suo *inferiore*, non debet manere, Stipites ostendas tales inter *Stoicos*, aut *Cynicos*, & causâ cadet *Casaubonus* in hac *peregrinatione* philosophica. Interim cum ita efformentur plurimi à vestra disciplina, vt ad quodvis imperatũ scelus *insensati* proruant, ne mireris si prudenter opponat se *Casaubonus* (vt olim *Apostolus*) novis hisce *Stoicis* omnia conturbantibus. *At pro tyrannis* (inquis) *pugnat, non æquis principibus, Casaubonus*; quasi verò principes qui vobis non arrident, vestro censu, statim non sunt tyranni. Quod verò ex *Aristotele attexis, principes, qui verè principes sunt, non invitis, sed volentibus imperare*; Ac si non verè essent principes secundum *Philosophum*, qui *invitis imperãt*: ostendit te ex dictatis tuis vt plurimùm hujusmodi corradere, nec authoris textum, aut scopum vllatenùs perpendere. Quis enim non animadvertit primo intuitu, philosophum nil ibidem, *quid faciendum sit definire*, sed declarare tãtùm, *quid plerunq; solet contingere*, ἐν δὲ ταῖς κατὰ γένος βασιλείαις, &c. *In regnis autem illis in quibus succeditur per genus, ponendum est corruptionis esse causam, vltra illas, quæ supra sunt dictæ, quod plerumq́; contemnendi homines succedunt, in regnum; & quòd cum non habent potestatem tyrannicam, sed regiam, superbiunt. Est enim facilis deiectio regis, si enim nolint, statim non erit rex. At enim tyrannus etiam nolentium est.* Integra sunt hæc verba *Philosophi*, in quibus non negat illum *verè esse regem*, qui *tyrannicè*

Act. 17.

Pag. 48.

Lib. 5. polit. cap. 10.

nicè imperat, ſed oſtendit illum qui per ignaviam à maioribus quibus ſuccedit, degenerat; irritare plerunq; ſubditos, vt nolint illum imperare; hinc imminet periculum ne *regno exuatur*; non docet autem (vt veſtri incendiarij) regno eum a ſubditis exuẽdum. Vltimum quod denùm rodis aſſeruiſſe *Caſaubonum*, pontificis hanc in impios principes poteſtatem, *ad principum contemptum viam munire; ex contẽptu autem facilè impelli ad prava quævis conſilia, rebelliones, conſpirationes, cædes denig, & paricidia.* Petulantia eſt hæc tua ſolita, quâ carpis illa, quæ non vis capere. quid autem hic diſplicet? annon contemptus rectè hic ſtatuitur cauſa horum effectuũ? *non ambigo* (inquis) *at ſolitaria cauſa cur contempti impetuntur, eſt quod exiſtimantur facilè opprimi poſſe.* Quãquam hoc eſt falſiſſimum, vt conſtat ex *Ariſtotele* (*nam odium, metus, indignatio, vindicta, ambitio*, addo ego à vobis *occæcata quædam ſuperſtitio*, & *meriti opinio*, poſſunt etiam concurrere) illud tamen eſt infulſius, aſtruere in refutatione, quod refutandum ſuſceperis. *Caſauboni* poſitio eſt, *impetuntur principes quia contemnuntur*: refutatio tua, *contempti principes impetuntur quia exiſtimantur facilè poſſe opprimi.* Annon acumẽ hic apparet *Philoſophicum*? quæ ſequuntur ſunt ejuſdem prorſus artificij, ideóq; ſtrictim percurro. Confirmas ex *Ariſtotele*, *quod in voluptatibus viventes, efficiantur facilè contemnendi, ac multas præbent occaſiones opprimendi ſui.* At

Contingit ipſum regem pati iniuriam Thom. in Ariſt. Ibid.

1. Polit. 10. Pag. 49.

quem

quem hic feris? ybi quid diſſimile habet *Caſaubonus?* vtcunq; interim merito ſuo has ſordes contrahant: à ſuis tamen præſertim, nec *contemnèndi ſunt*, nec *occaſiones huiuſmodi arripiendæ*, propter *vnctionis religionem*, quâ Deus illos exaltavit. Sed in tota hac perigrinatione tua Philoſophica, non inciderit tibi cogitatio, quomodò poteſtas principum à Deo immediatè fluat. Ideóq; pontificis tui arcam, tot cubitos evehis ſuper tales montes, vt nil detractum eis eſſe exiſtimes, ſi non tantùm ipſius ferulæ ita ſubjicerentur, vt pro libitu poſſit in lapſus eorum animadvertere; ſed etiam vt ita conſtituatur eorum Dominus, vt ne *beneficiarij* quidem, ſed loco moveri ad libitum ab eo poſſint. *Beneficiarios* autem tales, principes *Germaniæ* facis *imperij*: tales etiam Beneficiarij ſecundum tua politica, *Dynaſtæ ſunt Italiæ, aut imperatoris, aut Pontificis*. Immò Angli (inquis) *à Pontificibus Hiberniam acceperunt*, nec Reges *fuerunt appellati ante Henrici octavi defectionem*; tam feliciter philoſophatur *Scholaſticus* de *Dynaſtijs*, & regnis. Ac de *Germanis* & *Italis* viderint illi, quorum intereſt. *Venetos* conſtat & *Brandeburgicos*, illos in *clericali*, iſtos verò in *Clivienſi negotio* parùm meminiſſe, ſe fuiſſe Pontificis *Beneficiarios*. Regnum autem *Hiberniæ* Iure *ſocialis Belli* (vt apertè ex *Neubrigenſi*, & *Giraldo* oſtendit *Elienſis*) à maioribus ipſius acquiſitum, rogat *Rex noſter* ſereniſſimus vt tantiſper poſſideat, dùm

In reſponſ. ad Bellar. cap. 3 Pag. 85.

Hi-

Hiſpania, & *Sicilia* ab *Hiſpanis*, & *Polonia*, à *Polonis* (quę *beneficio Pontificis*, ipſorum Regibus obvenitſe eodem modo inculcat *Cardinalis* veſter *Baronius*) tanquam à filijs obſequentiſſimis ipſius Sanctitati reſtituantur. Sãctiſſime *Petre*, quodnam eſt illud patrimonium, quod ſucceſſoribus tuis reliqueris! *Servator* noſter *regnum* nolebat à *Iudæis*, *regna* à *diabolo*, ſed conſultior ipſius *vicarius*, quę Chriſtus noluit, à diabolo accepit. Nam à quo alio haberet, cum nullum legimus, qui omnia mundi regna alicui vni obtulerit, præter *diabolum*? pergit tamen hic noſter *Eudæmon* principibus perſuadere, non eſſe *ipſis dedecori*, ſi triplici põtificis *Diademati*, ſceptra ſua ſubijcerent. Argumentum ipſius deducitur ab *Hibernia* & *Scotia*.

Contemptui non habentur proreges Hibernia & Scotiæ, niſi inepti & ſtolidi ſint, tametſi amoveantur ad libitum Regis Iacobi.

Ergo non cederet in regum dedecus, niſi inepti et ſtolidi ſint ſi proreges Papæ ſeipſos agnoſcerent.

Vbi propoſitio ſubaudita à proportione continua hic videtur contexenda. *Vt ſe habent proreges ad reges, ſic reges ad Papam.* At hoc negatur, quia vt *diagonius* eſt *irrationalis* ad *coſtam* (docente *Ariſtotele*) ſic *proregis ad regem ignota* prorſus eſt *proportio*. Verum rex ad Papã eſt *vt luna ad ſolem* nempe *Septies millies, ſeptingeſies, quadrageſies quater cũ medietate* minor

Decretal l. 1. tit. 33 de Maiorit & obed. cà p. ſolitæ.

nor, vt corexit *Glossam* ex Almagesto vester *Laurentius*. Deinde distingui potest, de modo extensionis *pontificiæ vestræ potestatis*; vt ea sit vel *collateralis*, atque ita non egreditur (quod sciam) *Italiæ Pomœria*; vel *perpendicularis*, & sic vt charta *Iacobinorum* à *Philippo Longo* illis concessa, *à porta eorum procedat* (nobis nó obstantibus) *ad portam Inferni inclusivè*: & ita habes *patellâ tuâ dignum operculũ*. *Iam dic* (*Posthume*) *de tribus capellis*.

Ben. Chopp. de Iur. Monachor. l. 1. tit. 1. n. 15.

CAP. 4.

CAP. 4.

De Ribadeneira, Bonarſcio, Bellarmino, et Toleto.

PEregrinatio Ieſuitę ſuperior ad *Stoicorũ* reliquias, ſpecimen nobis exhibuit & peritiæ ipſius in *Ethicis*, & quàm propè ad ἀναίδειαν accedit *cæca* ipſorum *obedientia*. Interìm (vt quod res eſt fatear) prudentiores vidẽtur ceteris *Itali*, & *Hiſpani* Patres. Etenim illis plerunq; ſatis eſt dirigere; *Tranſalpini* ferociores opus aggrediuntur. Animadvertit hoc, & vrget cum *Anticotono Caſaubonus*; tu reniteris, & huc tranſfers, quæ in *Anticotonum* alibi egeſſiſſes. Vnde brevitatem hîc polliceris, quæ mihi etiam eſt gratiſſima. Quæſtio igitur maneat vt à te efformatur.

An Ribadeneira, Bonarſcius, Bellarminus, Toletus, parùm aqui in Principes animi, ab Anticotono merito accuſentur.

Aſſerit *Caſaubonus*, tu negas; conſignatæ adferantur tabulæ, & primipilus ſit *Ribadeneira*. Pag. 51.

Cujus verba ſunt ab *Anticotono* adducta; *Cùm Henrici tertij reſolutio fuerit conſilium politicũ, & non legi Servatoris noſtri conformis; ecce per iuſtum* Ex lib. de religion. & virtut princip. cap. 15.

iustum dei Iudicium idem Henricus, per manum Invenis religiosi, cultello erat confossus. Quid ad hęc Apologista? primò dicit *Ribadeneiram* decepi potuisse iniuriâ istorum *temporum, vt maxima pars Catholicorum, totius mundi.* Excipit *Casaubonus*, hoc non satisfacere, quia *peccat is qui furorem aliorum sequitur, præsertim verò Theologus, non vnus è multis sed primarius, & quidem e societate Iesu.* Tu verò hic taces, nec audes hoc vlcus vel digitulo vlteriùs attingere. Subijcit enim *Casaubonus*, de *Bellarmino* aliquid, & *Papis* etiam *duobus*, funestissimum illud incendium cõflantibus. Num talis *abripi* etiam possint *iniuriâ* aut *furore temporum*? Arripis igitur secundum *Apologistæ* subterfugium, non sequi, *quia* justo Dei Iudicio *Hericus* erat interfectus; ergo justè fecit is qui eum interfecit. Atqui sic non argumentatur *Casaubonus*; illud potiùs reprehendit, in tuo *Ribadeneira*, quod dùm sceleris tanti meminerit, ne verbo quidẽ significat, paricidam ipsi displicuisse. Si tam soliciti sint *Iesuitæ* de regum salute (vt accepimus à te superiùs) & *Iesu* sectatores deceat; cur carnificem non detestatur *Ribadeneira* pleno ore? Cur tam ambiguè loquitur, vt cedat potiùs in laudẽ parricidę, quàm ignominiam? Sed quid opus est hic scrutinio? Docet *Sixti quinti diabolica Iacobi* istius *Clementis* in frequenti Cardinalium Consessu *laudatio*; quid non de facto solùm, sed personâ, à vobis esset statuendum. Atqui *Gallorum* (inquis) *est culpa*; quo-

Response Apologetique l'Anticoton. Pag. 39.

quorum literis & prædicatione effectum est, vt *Ribadeneira* regem vituperaret. Fieri illud potest, sed quorum quæso literis? Si *Hugonotarũ*, cur crederet? Sin *Pontificiorum*, accusat suos. Interim animadvertat lector *Iesuitæ* nostri logicam. Queritur *Casaubonus*, *Ribadeneiram* regicidæ sic meminisse, vt propiùs *absit à laudãdo quàm à detestante*. Exclamas tu, *en crimen, en causam*, non laudat *Iacobum Clementem Ribadeneira, sed ne detestatur quidem*. Quid jam? nũquid hoc satis? Tantámne sceleris atrocitatem, tam frigidè & neglectim haberi! sed non mirum est te, nec parricidam detestari, nec patronum *Ribadeneiram* studiosiùs *excusare*, cum in sequentibus subijcis, *Quis tunc temporis in Academia Parisiensi Doctor appellatus est, qui cũ lauream susceperat, de Iacobi Clementis laudibus non diceret? Extant etiam nunc, tunc temporis excusa, ac publicè defensa, Parisijs à Richerio Theses, in quibus ita Iacobum Clemẽtem dilaudat, vt etiam publicæ salutis Authorem* (quod imprimi curasti maiusculis literis) *appellet*. En Pontificiorum in reges fidẽ inflatorũ tumore Italici istius fermenti! Peccata vt *Sodoma* præ se ferunt. Annon beantur Principes hujusmodi subditis? sed mitto. Aut igitur tacitè habet *Ribadeneira*, quod *Casaubonus* vrget; aut apertè à Pontifice, à degeneribus illis *Gallis*, à nebulone isto *Richerio*, à te etiam dissentit. Pag 65.

2 Succedit author *Amphitheatri honoris*, quem didicisses ex *Ribadeneira* tuum esse *Ca-*

Pag 52. Catalog scriptorum Societ. lect pag 58.

rolum Scribanium (nisi alterum nobis *Amphitheatrum* ædifices, adversus *Calvinistarum criminationes* libris quatuor; quod libris tantùm tribus *Bonarscius* præstitit.) Cujus ita *Cotonū* & *Apologistam* depuduit, vt primo illum pro *Iesuita* non agnoscant. Deinde si sit per anagrammatismum *Carolus Scribanius* (inquit Apologista) *verisimile est voluisse authorem, tali literarum inversione seipsum occultare, vt innotescceret se talia scribere, quæ societatis corpus nō probaret.* Adeit tertiò, *librum prodire, sine approbatione, sine censura cuiuspiam*, quæ pudoris aliquam tincturam, huc vsq; præ se ferunt. At quid est quod non auderet tua impudentia? quod ille meticulosè tandem, vt vltimùm subijcit; tu primùm arripis, ad pallianda *Corybantis* istius παράκλα. Immò ttili ipsius *spumam* sic *deruderas*, ac si *amphitheatralis iste ludus, de industria esset compositus, vt commodà vrbanitate, nobis iuxtà stult. tiam nostram respōderet.* Profundè proculdubiò, ac Philosophicè. Næ ille *fonte labra proluit caballino*, qui cōmodæ vestræ vrbanitatis, cryptas noverit. At obsecro cujus vaccæ mugitum, imitatur hic *Ieroboami vitulus?* cur non nominatur è nostris, qui *torua* illius *cornua, mi malloneis bombis impleverit?* an verò *Casaubonus* hydropicè sic intumescat, per integram vnam periodum,

pag 531.

Pers.

Vt Ramale vetus ve grandi subere coctum,

Non compertum est mihi illum vnquam tentasse. Interim hic cothurnatus tuas *Theraponti-*

tigonoplatagidorus, ſi nõ (vt fateris) *corpus ſit ſine pectore*, vix feret ſtilum ipſius, quem ille vt *Toroſium et maſculum, ſenatui* commendat *Antuerpienſi*, ludibrij loco a te haberi. Sed rem ipſam intueamur.

Boat hic *Toroſius Ieſuita*, in Reges Galliæ. *Si vel Dioniſij, Mechanidas, aut Ariſtotymus ſæculorum portenta, Galliam opprimant: nemo Pontifex Dionem, Timoleonta, Philopœmenem, Helematum, ſecurus animaverit? plura etiam monſtra rempublicam in vinculis teneant; Nemo Thraſybulus manum moveat? veſtigia Tarquinij in Collatini lecto, iuſtam cauſam dederunt; nulla iuſta eſt cauſa Gallum abrogandi? Rex tyrannus oppreſſor libertatis; &c. nullus tamen in hanc belluam homo miles erit? Nullus Pontifex nobiliſſimum regnum ſecuri eximit?* vbi cùm manifeſtò ſtatuat, contra *Galliæ* leges, Pontifici ſic ſubijci ipſorum Reges, vt non tantùm excommunicari (quod non negat *Arnaldus Pariſienſis advocatus*) ſed ſolio deturbari potuiſſent; quid reſpondet *Apologiſta Gallus? nẽpe illud tandem quod tu ſolùm adducis, non loqui Bonarſcium de Galliæ regibus, ſed tyrannis.* Repo- Pag 53.
nit *Caſaubonus*, at in *ſchola Hildebrandica*, tyrannus audit, *quamvis legitimus rex, qui à Põtifice fuerit excommunicatus*, non tantùm talis qui publicâ notione in *ſchola Sorbonæ*, & *alijs antiquæ ſimplicitatis, legitimo principi opponitur. Et eum ſignificat qui imperium non ſuum, per vim, et malas artes invaſit*, hic autem tu, ad no- Libr. Amphi theat. Honor. Cap. 12.

Pag. 54. ta desi ectens diverticula, de tyranni significatione, ex *Aristotele*, ex *Cicerone*, ex *Horatio*,
55. protrita cogeris, quæ tam parùm ad rē faciunt,
56. vt illam *lectionis* tuæ *Politica* sectionem, ad cōmodius tempus reservasses. Non enim quæritur, an vnica sit vocabuli *Tyranni* significatio. Dabit hoc forsan *Casaubonus* (dummodò illud obtineat, notionem à se prolatam publicam esse & propriam, reliquas verò trāslatitias.) Illud est quod ille premit, & tu subterfugis; annon *Christianus Princeps, qui Pontificis detrectet imperium, & subditis, vt idem faciant, severè præcipiat, in doctrina vestra Hildebrandica tyrannus non statim audiat?* hic autem quando directè esset respondendum, tu sic ineptè balbutis, vt nec assequeris, quid vult *Casaubonus*, nec *Bonarscium* liberas, nec intelligis quid ipse loqueris. Etenim attendant Logici, quàm peritè hoc sit aliquem refellere. Asserit *Casaubonus*, *Hildebrandistas*, inauditam *tyranni* significationem, præter publicam istam antiquorum invexisse; tu hoc non
57. negas; sed ostendis alias esse *Tyranni* significationes præter publicam istā, quod non negat *Casaubonus*. Artificium hoc scilicet est Logicum, quod ad rem facit, subdolè declinare, & quod præter scopum est, operosè dilatare! Etenim quàm facilè est quæstionibus, à te propositis, simpliciter, & sine tergiversatione respondere? Si detur talis Apostata (quod avertat æternùm Deus) vel apud *Gallos*, aut *Anglos*,

glos, qui *Iulianum* aut *Turcam* superaret, subditorum tamen non est solio illum deturbare: multò minùs *Itali* cujusdam *sacrificuli*, qui rebellis in *Imperatorem proprium*, leges omnibus Principibus fragit imponere. *Quis potest manus injicere in vnctos Domini, interim vt maneat innocens?* Num *Israelitæ* in *Nabuchodonosorē* Christiani in *Iulianum, aut Imperatores Ethnicos* (vt doctissimè ostēdit perspicacissimus noster *Hakewillus*) aliquid tentārunt, nisi *precibus & lacrymis?* his si valeamus armis, instantèr illis vtamur. Sin aliter, expectemus Deū vltorē, non Papæ bullas, aut tumultus subditorum. Nec video, cur *Angli* aut *Galli*, copias non potiùs coniungerent ad liberandam *Italiam* à *Pontificis* tyrannide: qui parasitorum inflatus sycophantiis, oblitus est se iamdiu Imperatoris esse subditum. At *potestatem* hanc (inquis) in regnis transferendis *Pontifex antiquitùs exercuit*. De *facto* in aliquibus constat, sed de *Iure* quæritur: & Imperatores Papas elegerunt, & deposuerunt, quod hodiè tamen non faciunt. Nunquid placet tibi hæc collectio? *deposuerunt Imperatores Pontifices, ergo illud est licitum.* Si ita, à *facto* ad *ius*, sequeretur argumētū Incestus, stupra, homicidia, eodem modo præstare. Quia constat etiam hæc *Pontificum* esse *gesta Romanorum*. Atq; hic tibi vacat excurrere, *de Batavis, de translatione regni Gallici, à Valesiis ad Borbonios, à Caroli magni nepotibus, ad Capetum, de Henrico septimo post Plantagenetas,*

1. Sam. 24. 8. & 26. 9.

Sic ut Reg. 1. & 3.

net as, & serenissimo nostro Iacobo, post Henrici octavi liberos, solium Britannicum possidente: ac si *sacrificulorum* esset desceptare, de *Regnorum titulis*; & quod immediatè sit à Deo, *Papæ* esset referendũ. Tibi erat præ manibus obiecta à *Casaubono* punctim delere; quę hinc te abripuit intemperies? Objicit *Philippi* ad *Bonifacium* vestrum *octavum* Epistolam; sed ista tu non animadvertis. Narrat quid eiusdem Regis auspicijs, *Sacra Columna*, & *Nagaretus* fecerunt; de *Columna*, & *Nagareto*, non audes verbum mutire. Quid *Tanquarellus?* quid *Florentinus Iacobus*, & *Thomas Elanzius?* annon ostenderunt liquidò, quid *Sorbona*, quid *amplissimi Galliæ ordines*, de temporali Pontificis potestate sentiunt? Sed hisce recentium exemplis, si noluisses, aut non esset, quod commodè opponeres; *Guignardum* tamen *vestrum martyrem*, aut *Alexandrum Haium confessorem*, silentio non sepeliviſſes. Vltimò attexit *Casaubonus*, de *Iohanne de Roa*, luculentissimum testimonium. Is etenim *Iesuita* cùm esset, professionem mutavit, & factus *Augustinianus*, librum scripsit De *Iuribus Principalibus defendendis, & moderandis iuste*. Quem expectasse se *Romæ* aiebat *Baronius, Tom. 6to Annalium*, incredibili cupiditate, vt statim publicè cremandum curaret. Expeditissima certè obiectionis solutio, nec video quomodo aliàs possitis satisfacere. Reus interim sistetur tuus *Bonarscius*, obiectæ in Reges perfidiæ; dum prodeat *Index expurgatori-*

ria

us, qui opus ipsius, vt cum ipso loquar, *deruderet, aut luxuriantes huiusmodi pampinos ex orchestra ipsius excandicet: sed acriùs ipse & lucu-* In Epist. ad Conf. & Senat. Antuerp
lentiùs (vt polliceris) *respondebit.* Certè opus est, nam frigidos Apologistas adhuc invenerit.

3 Tertio, de *Bellarmino* est negotiũ; quem vtcunq; de *Romana Ecclesia bene meritum, & doctrinâ & ingenio excellentem*; miratur tamen *Casaubonus*, fine exceptione, ab *Apologistâ* defendi; cùm *funestæ* ipsius *doctrinæ* ab *amplissimis Patrum ordinibus, nigrum theta fit præfixũ*; cùm manifestio intercedat pro *typhi sæcularis potentia, quem Patres Ephesini, & Carthaginenses in Ecclesia fugiendum monebant*; cùm *prodigiosam inducat doctrinam per longam seculorum seriem, Patribus incognitam, quam nec Francia unquam probavit*; cùm laudet aliquoties *Garnetum vt martyrem*, quem *constat fuisse proditorẽ*; denique, cum *nec cœptipudeat, nec factipœniteat.* Quinimo in *retractationibus suis* evaserit absurdior, vt Pontificis ἀποδιοσις quavis impudentiâ fulciretur. In istis præcipue cùm desideret candorem Apologistæ *Casaubonus*: audiamus quid tu oggannis. Primò non fers vt *Casaubonus Bellarmino* laudaret. Exulat enim à vobis talis ingenuitas, quæ dei dona in hoste agnoscere. Vnde Cardinalis in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* nuperrimè edito, è nostris neminem dignatur nominare: sub quorum tamen mensâ præcipuas quas habet micas, constat illum corrasisse. At in *Indice Chronologo-* pag 58. Colon. 1613. Ibid.

rum, sui memor. *Robertus* (inquit) *Bellarminus ab orbe condito, ad annum domini* 1512. *scripsit tempora.* Ita *multus multus scabit*, & tendit hic senex nervos, vt *Primatum* inter *scriptores* obtineat. At fortsitan tu nimiùm es conscius, quã parùm ista *Casauboni* meretur eulogia; qui parcior in hac parte potest esse in posterum; cum *nullum sit* (vt tu vis) *ipsius iudicium.* Interim *Bellarminum* (vt de *Hortensio* habet *Cicero*) *ita laudat, vt decipi ab ipso nolit*, qui si sit (vt tu assentaris) *nostræ tempestatis Augustinus*, ab *Augustino* illo prisco est valdè degener. Secundò cùm vrgeat *Casaubonus*, non rectè à Gallo laudari illam doctrinam, quæ à *Gallis amplissimis*, flammis est adjudicata; respondes tu; at *Galli isti amplissimi pietatis & constantiæ laudem, tibi vltrò remiserint.* O circulos! *Augustinus huius tempestatis*, hoc modo ab amplissimis viris tractatur, & sic à te defenditur? Hoccinè est dialecticè respondere? Cum adversarius vrget, non probandam esse à Gallo doctrinã, quam Gallia flammis adjudicavit; illud obtrudere, *Galli laudes tuas non flocci æstimant?* Tertiò, quod de typho seculari habet *Casaubonus*, transilis; nosti illud *Basilij* de *supercilio Occidentali*, & quo modo jamdudùm, totus mundus ingemuerit sub *bestia coccinea.* Quartò, de *Garneti Martyrio*, nil forsan hic attexis, quia prostat præclara tua *Apologia*; nec de *recognitionibus* aliquid adducis, quòd *Bellarminum* excuset, vel incõstantiam aut stultitiam palliaret? Sed vbi sunt

In Cæcil.

Consut. Anticot. cap. 3

prisci

prisci illius *Augustini* hujusmodi φροντίδες δεύτερας? *pasce oves meas, hoc est Regio more impera; Paulus de Iure non erat Cæsari subiectus, sed de facto*, ideóq; ad illum *tanquam ad superiorẽ suum appellavit; Pontifex de Iure Imperatori non fuit subiectus*, & hujusmodi? At hoc negas *Bellarmini* esse *inventum*. Traditum fuit à *Iohanne Turrecremata, ante ducentos circiter annos*; suffragantur concilia, *Lateranense, et Tridentinũ*, *Bellarmino* non nato vel saltèm adolescente. Ita obruis nos *novatores*, venerandâ antiquitatis canitie. *Bellarminus* autẽ non labitur, quòd putidissimum commentum amplectatur, & obtrudat impiè; sufficit quòd *non invenerit*. Atqui non *invenisse* illud, illũ asserit *Casaubonus*, sed *defendisse*. Alterum autem est quod mordicùs arripis, cùm rectè affirmasset *Casaubonus*, nec prodigiosam hanc doctrinam, à *Francis* vnquã fuisse probatam, *nec à Patribus agnitam ante Gregorij septimi tempora*; tu vt nominibus recensendis ora auditoribus oblineres, catalogũ pertexis, primò eorum, qui potestatem hanc vsurpârunt, ante *Gregorium septimũ*, deinde qui consequentibus seculis eandem doctrinam, apud *Gallos* pugilicè & athleticè propugnârũt. Sed quàm impudentèr & imperitè, libet tantũ saltuatim indigitare. Nam de priscis illis ante *Gregorium*, *Augustinus tuus Bellarminus* cõmodè satisfaciet, qui pollicitus contra *Barclaium*, omnes antiquitatis copias educere, *Gregorium ipsum septimum* constituerit in frõtis-

tiſpicio. Probè conſcius, quàm emeritos, antiquiores habuerit patronos. Nam ſi *Gregorius primus*, aut *ſecundus*, ſi *Zacharias* aut *Stephanus*, aut *Leo tertius*, talem authoritatem vſurpaſſent; mirum eſt tantæ lectionis virum, dum pollicetur *omnes*, omittere præcipuos. Sed ponamus te vigilante, *Auguſtinum* tuum dormitaſſe. Quid ſi jam retorqueret aliquis *probatũ* illud *ſpiculum*, è veſtra pharetra: *de facto procedere omnia tua teſtimonia, non de Iure*? Annon tuis telis egregiè te cõfoderet? Sed vt laberynthos tuos excutiã. Fabulam de *Medardi privilegio*, quo tãtoperè gloriamini, adeò protrivit & exploſit *Hakewillus* noſter; vt niſi frons de rebus perierit ad *cramben* iſtam repoſitam in poſterum non nauſeabimus. Oſtendit enim primò (quod monuiſſet antea exquiſitę, vir induſtriæ *Thomas Iameſius*) *tale nil extare*, in *manuſcriptis codicibus*, *vetuſtis aut recentibus*. Secundò, *Subſcribentes* non rectè accommodari. Nũ *Auguſtinus Cãtuarienſis*, & *Mellitus Lõdinenſis* vt *Epiſcopi* rectè ſubijciuntur, quos conſtat ex *Baronio* tunc temporis *non fuiſſe inauguratos*? Tertiò, æra adpoſita Incarnationis Domini 593, tinnit impoſturam; quam notum eſt apud *Hiſpanos* ſolùm, non *Romanos*, aut cæteras gentes invaluiſſe. Quarta ſuſpicio eſt, ex *Gregorii* 7^i^ ad *Metenſem Epiſcopum*, celebri iſta epiſtola. Vbi cum everriculi inſtar omnia corradat, ad aſtruendam *Pontificum tyrannidem*, *ſuper imperatoriam poteſtatem*:

Scut. Reg. l. 3. c. 10.

In Bello Gregoriano.

Tom. 8. p. 68.

tem. Hujus tamen *privilegij* (quicquid ſapiunt *Baronius* & *Binius* ex notis marginalibus) nõ omninò meminerit. nec levior eſt illa *Molinei*, ex Idiomate, conjectura. Nam impoſtor decori oblitus, pro *Sancto Medardo*, *Dominũ Medardum*, formulà Gallis familiari ſubſtituit, vnde agnoſcas non *Gregorij*, ſed *Gallici cerebellij* recentiorem partum. Præſertim cum apud antiquiores hiſtoricos, qui minutiora non trãſiliunt, *Monaſterij* huius *Medardici*, *Gregorij* ſeculo non appareant rudera. Sed vt obtineat hoc commentum, quid inde lucrabere? Annon votum potius ſonat imprecãtis, quam Bullam, excommunicãtis? Extat in *Donatione Conſtantini talis comminatio*, & vſitata eſt in *diplomatis regis Hiſpaniæ*, referente & probante *Baronio*. Imò *Rogerus Keys*, 18. manuſcriptis voluminibus *Hugonis* de *Viennâ*, (quæ Bibliothecæ Collegij noſtri *Exonienſis* ante 144. donavit annos, non dubitavit præfigere) *Si quis libros iſtos à collegio prædicto, alienaverit, vel de libraria ſine licentia Rectoris, & omnium ſociorũ, excariaverit; Authoritate dei Patris omnipotentis, & Beatorum Apoſtolorum ſuorũ Petri & Pauli, ac reverendi in Chriſto patris & Domini, Domini Iohannis Dei gratiâ Exon. Epiſcopi, Anathematizatus ſit ipſo facto.* Vnde ſi quis *primatum* eliceret in *regum temporalia*, næ ille omnium conſenſu ad Anticyras eſſet relegandus. Sed fuſior fui quã par erat, in diſpellendo hoc totiès decantato, de *Medardi* privi-

Tom 8 p 64. Tom 4 ad ep. 11. Greg. 9. 7. In defenſ. Monit. præf. c. 5.

Diſt. 96. Cõſtantinus Annot. Tom 9. anno 761.

privilegio coccysmo. Contractior ero in sequentibus. *Gregorius* secundus nil *Leoni Isaurico* intentat *authoritate debita*, sed defectione aperta. *Zachariam* miror cur adduceres, conspirat cum subditis in *Childericum*; non authoritate temporali aliquid præstitit; *depo-*

Ad caus. 15. q. 6. can. alius ver. deposuit.

suit. hoc est deponẽtibus consensit (vt habet glossa.) De *Stephano* est illud magis ridiculum. Inauguravit *Pipinũ*: ergò regnũ ad illũ suo jure trãstulit? Sic etiã Reges plurimi Archiepiscopis subditis regna sua accepta referrent. Iam *Munus tuus Gregorius*, quàm pulchrum accepit à *Philippo pulchro* responsum? Quem vtcunq; indignè tractavit, vigente tum præcipuè *mysterio*

Vid. Viser. de success. Eccl. cap. 5.

iniquitatis, & *soluto Satana*; non constat tamẽ ex *Ivone Carnotensi*, aut *Vrbani secundi*, aut *Paschalis* facto, agnovisse *Gallos* hanc correctricem in Reges eorum potestatem. *Arelatiense Concilium*, nil magis Pontifici concedit; vt nec *Lugdunense*, vbi licèt *Ludouicus* steterit a partibus Pontificis, contra *Imperatorem*, non inde tamẽ sequitur, admisisse *Gallos Hildebrãdicam*, quam vos vrgetis, Pontificis *potestatem*. Quare quos succenturiatos hisce attexis, *Thomam*, *Bonaventuram*, *Alensem*, *Egidium Romanum*: Galli pro suis scriptoribus non agnoscerent, aut perperàm à te adductos cum *Barclaio* responderent. *Almanium* nihil tale somniare, *Barclaius* idem conficiet. Quare Catalogos suos venditasset, ignaris *Bellarminus*, nec existimasset se legisse tantùm, aut intellexisse

In Pietat. advers. Bellar. ad Proleg.

om-

omnia. Dùm proſtet *volumen* de *privilegijs Gallicanæ Eccleſiæ*, tot concilijs, decretis, & edictis corroboratum, non ſoliciti erunt *Sorboniſtæ*, hac præſertim in cauſa patriæ amantiores, quid *Tridentini Conciliabuli Paterculi*, ad libitum Papæ excluſerint. Vltimum quod obiicitur *Bellarmino*, *fuiſſe illum facem inteſtini iſtius furoris, quo Henricus tertius, à monacho erat obtruncatus*; deles tu breviſſimè. *Henricus erat ſublatus, priuſquam Bellarminus in Galliam cum Caietano Cardinale appulerit.* Sit ita. *Caſaubonum* interim non feris, quia non illum authorem cædis regiæ, ſed *coniurationis* (*ligam* vocant) *Approbatorem, fautorem, facem præcipuam fuiſſe aſſerit.* Quod tu ſub fidei prætextu, & aliorum exemplo non dubitas impudentiſſimè defendere. *Generatio viperarum*, quid tutum eſſe poſſit à veſtris ſtratagematis, cùm qui videntur inter vos pacatiſſimi, *aſtutam vapido ſervent ſic pectore vulpem?* pag. 64.

4 Vltimus eſt *Toletus*, *magno mœrore Societatis primo fallus Cardinalis* (vt teſtatur *Ribadeneira*) de quo pauciſſima *habet Caſaubonus*, & tu quæ habet prætervolas. Primò, *moderatiorem* illum eſſe *Bellarmino* exiſtimat. Reſpondes tu, id accidiſſe, non *opinionum varietate*, ſed *argumenti, quod aliò Toletum ducebat.* Ita nulli per te licebit *Auguſtino tuo* recèti eſſe moderatiori. Subnectit *Caſaubonus*, dubitandum eſſe, an ea quæ reperiuntur apud *Toletum*, *genuina* ſint, an *adiecticia.* Quia accidit veſtro *Mal-* In Catalog. Scriptor. S. I. ver. Toletus.

Maldonato, in scriptis post mortem editis, quædam fuisse mutata; constat autem *Toleti Summulas*, post obitum ipsius prodijsse. Sed hic tu planè obmutescis, & consultò (vt videtur) transilis, ne *Indicum* vestrùm *expurgatoriorum* camerina moveretur. Quod si genuina sint ista *Toleti*, quæ profert *Anticotonus*, & tu cum Apologista incrustare satagis, *subditi non tenetur excommunicato sacramento fidelitatis*. Et postea, *Excommunicatus non potest actum Iurisdictionis exercere*: non video, quomodo hac ex parte sit ceteris excusatior. Succurris tamen tu, cum Gallinaceo tuo Apologista, *suspendi exequutionem, non tolli Iurisdictionem*. Acutè. Rex igitur erit à non regendo, vt lucus à non lucēdo? At *Ludovicus* (inquis) *decimus tertius*, rex est, qui tamen actus Iurisdictionis non exercet. *Quia quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo*. Age igitur, placetne hæc Inscriptio? *Ludovicus* 13. *Papæ & Iesuitarum, gratiâ, servus Galliæ, vel saltem qui nihil differt à servo Galliæ*. Siccine beare soleris quas prædicatis, *heroicas* indoles? At *parvulus* necesse est vt sit, qui sic ab agyrtis eluditur. Aliud enim est *exequutionem suspendi*, aliud *vicario ad miniculo* exerceri, cum illud pœnam inflictam, hoc maturitatis tantùm defectum arguit. *Hæres* autem nihil *differt à servo*, respectu Tutorum, qui pueritiam ipsius dirigunt, non subditorum, quorum est Dominus. Habent etiam Tutores à regibus, vt reges dirigant, ideoq;

Galat. 4.1.

pro-

prodeunt diplomata, non authoritate Tutorũ, sed Regum. Verùm de his vt videtur in lectionibus tuis *Ethicopoliticis*, mentio adhuc non inciderit. Vt concludam. Ex dictis constat, quam ineptè *Ribadeneiram*, *Bonarsciũ*, *Bellarminum*, *Toletum* defendit Apologista, & tu illum. Et reverà quid aliter dici potest? Hæret macula, nec vllo tergiversationum lixivio potest eluí. Aut igitur Patroni magis ingenui sunt huc accersendi, aut proximâ impressione *Indice* vestro *vindice*, hujusmodi sunt purganda.

CAP. 5.

Cap. 5.

De Mariana, Anonymo Anglo, & Emanuele Sa.

Bove maiori discit arare minor.---Quomodocunque igitur [a] *arant* hic Cardinales *boves*, *Bellarminus* scilicet & *Toletus*, vt Tauri Basan; necesse est. vt qui sequũtur [a] *minores*, vnà cũ *asinis laicis pascant iuxta eos*. Prodit autem primò *Hispanus* (*Mariana*, ex præclara *Regis institutione* satis (vt opinor) celebris. Cuius qui cap. 6. & 7. libri 1. pensitaverit; non scriptum tàm mirabitur pestiferum, à *Gallis* fuisse vstulatum; quàm sceleratissimum ipsam scriptorem, apud *Hispanos* tutò delituisse. Sed *Lutheranes* tantùm venantur *Inquisitores*, non proditores. Objcit hic *Anticotonus* laudasse *Marianam Iacobum Clementem*, qui in Henrici 3. Regis sui viscera, medicatum adegit cultrum. Deinde quòd licitum esse statuerit, non tantùm *tyrannum vsurpatione*, sed legitimum Principem, si ad Tyrannidem deflectat, è medio tollere. Idque tertiò non consensu tantùm publico, sed privato alicuj⁹ ausu, cùm publicus iste consensus sperari nõ potest.

[a] Aq 1in. 2. 2. q. 2. art. 6.

At

Attexit ex 7° *capite*, egregiam istam de veneno cautelam. Quærit enim *Mariana*--- *An licèat veneno Tyrannum occidere?* Inieciſſet illi hunc ſcrupulum, *Princeps quidam in Sicilia, dum ipſe in ea inſula Theologiæ ſcholas explicuerit.* Sed quid reſpondet hic *Theologus ſcholaſticus?* Diſtinguit ſcilicet ſubtiliter de applicãdi modo. Veneno ſiquidem tolli quis poteſt duobus modis, vel cum immiſcetur *cibo* aut *potui*, quod videtur, & propinanti, & miniſtris forſan innoxijs periculoſum; hoc igitur modo non eſt agendum, præſertim cùm ſic contingat, vt aliquis ſibi ipſi conſciſcat mortem, vbi ipſe haurit, quo concepto pereat; quod non eſt fetendum. Aliter *ſella, aut delibuta veſtis*, tyrannum interficit, *quo Maurorum Principes graſſati ſunt* artificio; & hoc permittitur Chriſtianis in præſenti negotio. Sic *Theologus Sicilienſis* dubitantem inſtituit *principem* de Tyrannis auerruncandis, ſecundum Theologiam Ieſuiticam *practicè practicam*. Auſim iurare *Apoſtolos, Patres, Concilia*, de tyrannis, & veneno, non potuiſſe tam magiſtraliter determinare. At erubeſcet hic forſan Societas. Nihil minùs advolat *veſpertilio Gretſerus*, cum collega *Becano*, imò clarâ voce intonat *Clarus Bonarſcius*. *Quid Mariana grauem & decoram conſtructionem, ſonantis verba, ſplendorem narrandi, ſublimitatem, copioſum ingenium in non impari materia, quæ ætas non reuerebitur? Apologiſta* autẽ eadem premit veſtigia. Quædam enim cum

Cap. 7.

Pag. 162. Antiphitheſ. 2.

Vid Respons. Apol. Gal. p. 37. & sequent

Gretsero, & *Becano*, in *Mariana* reprehenden-da asserit. Nimium siquidem in tyrannis aggrediendis, *privatis concedit*. Atq; ista quidem molli brachio & frigidè: aliàs verò, effunditur ad eundem liberandum ab hæreticorum (vt loquitur) calumnijs. Erravit igitur hic *Regum institutor*, sed venialitèr (vt videtur) non mortaliter. Lapsus autem vnius non toti *Societati* est impingendus. Adde quòd venenum & ficas parat, non *Regibus*, sed *Tyrannis*, idq; in vltimo rerum discrimine, cùm reliqua media defecerint. Ita ludunt in Regum capita, & Rerumpublicarum discrimina, venefici *Satanæ* emissarij. Et hujusmodi *Casaubono*, aut subdito cuivis fideli, bilem non commoverent? Interea tamen, *Loiolitica* perfidiæ immemor, *Apologistam* tractat *Casaubonus*, ac si gestiret animus in ista fæce, vel scintillulam ingenuitatis animadvertere. Cum (inquit) *Apologista damnet institutionem Principum occidendorum (sic iure appello eam Marianæ disputationem) facit quod virum probum decet, sed an seriò damnet, ἐξ ἄκρας μυελῶ ψύχης, vt ait Euripides, an extremis labris* & cum aliqua subtilitate, *non absre dubito*. At scrupulum hunc eximit hic noster *Andreas*. Nam (vt rectè ille) *Ecce similia omnia, omnes congruunt; vnum cognôris, omnes nôris*.

Pag. 69.

2 Primò (inquis) *non docuit Mariana sas esse Principes occidere*. Sed quid si Principes tyranni sint? subjicis: *sed ne tyrannos quidem, nisi aut eos, qui nullo iurè, nullo populi consensu, vi tem-*

rempublicam oppreſſerint. At quid ſi jure regnũ obtinuerint, quod tyrannicè tamen poſteà diſtrahunt & conculcant? num licet ipſorum ſubditis tales è medio tollere, ex *Mariana* ſententia? Non frontis tuæ eſt negare, ſed inculcas circumſtantias, hoc non aggrediendum temerè, ſed cum *apertiſſima ſint eorum in Rempublicam ſcelera, cùm populi totius votis minimè dubiis, ad eædem depoſcuntur, adhibitis etiam prudentibus, ac ſapientibus viris in conſilium: idq; cùm nulla alia relinquitur conſulendi bono publico ratio.* Sic tu ex *Mariana.* Vbi nulla mentio de ſanctorum patientia, de iuſtis Dei judiciis, de Iuramenti vi, de ſacroſancta Principum authoritate, à Deo immediatè collata, de obedientia præſtanda, non tantùm in ſecundis propter vtile, ſed in adverſis *propter conſcientiam.* *Prudentes* ſcilicet veſtri, *& ſapientes viri*, ferendo potiùs, quàm ferendo, remedium inveniunt. Si apertè graſſetur rex, nec ſacrificulis placeat, nec populo; domi habet Correctores, qui *prudentiâ* ſuâ, & *ſapientiâ* facilè frænum injiciant. Hæccinè placet *Theologia?* ſic excuſandus *Mariana? Caſaubonus* interim ita argumentatur.

Qui tyrannicè imperat, ſi jure regnum obtinuerit, eſt nihilominùs legitimus Rex.

Sed ſecundum Mariana inſtitutionem, talis poteſt à ſuis legitimè occidi, qui tyrannicè imperat:

Ergo inſtitutio Mariana eſt principum occi-

dendorum.

Nec erravit igitur in titulo *Casaubonus*; qui pergit vlteriùs, & cõqueritur defensũ nihilominus esse hoc prodigium proditionis, à *Ribadeneira*, *Scribanio*, *Gretsero*, *Becano*, & nuper apertissimè ab *Anonymo quodam Anglo*. Tu collegis tuis *prudentibus scilicet & sapientibus*, quos Iudices anteà dederas salutis regiæ, teipsum annumeras. Summa est, quædam in sententia *Mariana* probanda, quædam corrigenda. Quòd tyrannum à suis subditis occidendum præcipit, adhibitis, quas præscribit, circumstantijs; à vobis non rejicitur. Nec displicet forsan in *septimo capite*, quod de *Veneno* proponit. Illud tantùm est ipsi proprium, privatis nimium concedit in tanti momenti negotio; scelus enim hujusmodi non est aggrediendum, sine expresso Pontificis mandato, aut tacitâ Iesuitarum *prudentia, aut sapientia*. Nam vtcunq; tenebras offunditis, huc recidunt vestra omnia.

Pag 70.

3 Patet hoc ex *Anonymo* quodam *Anglo*, quem suspicatur *Casaubonus*, ex verbis illis *permissu superiorum*, in Italia hujusmodi cudisse. Excipis tu non sequi, quia libri tui cum *facultate superiorum in Germania prodeunt*. At ab *Italia* nihilominùs ducunt ortum, vnde ceteræ huiusmodi merces profluunt. Nec consequentia est hæc *Casauboni*, sed suspicio tantùm, & coniectura. Rem aggrediamur. Rhetoricatur primò *Anonymus, de pramijs à Ludovico 13. rege Christianissimo, & augustissimâ reginâ, in vt collatio,*

71.

72.

collatis, pensandæ iniuriæ causâ, quam ab oſoribus veſtris accepiſtis. Falſa hæc & falſa omnia aſſerit Caſaubonus. Provocas tu ad *acta Curiæ Pariſienſis, ad orationem Martellerij*, & *Hardivilerij*; ad *S. Ludovici Domum, Collegium Claro-montanum, ad tertiam demùm pro novitiatu* Domum in *Suburbio S Germani.* Quæ omnia ſi ſe habeant, vt tu refers, quomodo inde conſtabit, collata hæc eſſe tantùm *penſandæ iniuriæ cauſâ*, vt ex debito potiùs ſint vobis, quàm ex Principũ beneficentia. Siccinè tua concludit Logica? Factum hoc, ergo hunc in finem? *Si Rex ſecurè regnare, & vita ſuæ & ſuorum conſulere cupit,* (vt habet veſter *Tortus*) *ſinat Catholicos frui antiqua poſſeſſione religionis ſuæ.* Ergo qui non placet Catholicis, ſecuritati ſuæ non conſulit. Quis igitur ſcit, an eò tendat Principum in vos benignitas, non vt vobis gratificentur, ſed ne crabrones tam periculoſos in ſe irritent? Quare vt *Indi* Diabolum ſacrificijs demulcent, non quia illum amant, ſed ne illis noceat: ſic offæ frequenter injiciuntur Cerbereis veſtris rictibus, ne more ſolito latretis, aut latenter inſidias ſtruatis. Quid autem celebertima *Pariſienſis Academia* de vobis ſentit; patet in ſolenni concluſione, Decemb. 1. ann. 1554. Vbi poſtquàm fuiſſet conqueſta, *quòd ſine delectu, facinoroſas illegitimas, & infames perſonas admittatis, auſteritatem Monaſticam evertatis, apoſtatandi ab aliis religionibus, anſam præbeatis, Dominos tẽporales, & Eccleſiaſticos ſuis iuribus privatis,*

Ad Apolog. Anglic. p. 18.

In oppoſit. Eccleſ. Thol. edit. 1613.

quòd perturbationes in vtraq; Politia, multas in populo querelas, multas lites, æmulationes, dissidia, contentiones, variaq; schismata inducatur. Clausula hæc præclara adjicitur. *Itaq; hæc societas videtur, in negotio fidei periculosa, pacis Ecclesiæ perturbatrix, Monastica religionis eversiva, & magis in destructionem quàm educationem.* Hactenùs *Parisienses.* Quid Tholosani? an non pro aris & focis dimicant, ne Iesuitę in ipsorum Academiam pedem inferant? Extat *Marani, Bertieri,* Costę, & *de la Croix*, hac de re, *consultatio*: vbi *ambitio, hypocrisis, impudentia, avaritia,* detestandæ vestræ Societatis ad vivũ depinguntur. *Hardivillerij* autem, & *Martelleri* in hoc negotio, mirũ quà fronte memineris? Qui diabolicas vestras versutias, proditiones, scelera in apricũ proferunt. At fatẽtur (inquis) hi, regiam in nos liberalitatem. Fatentur quidem, & queruntur tam iniquè fuisse collatam. Quàm facile est enim assentatoribus *vertũnis*, quorum *regula est ambulatoria*, & mutabilis; dum alij chartis invigilent, præstigijs, fucis, & importunitate, in credulorum aures, & pectora seipsos insinuare? Ergo quòd plus à principibus accipitis; non arguit vos esse fideliores subditos, sed impudentiores mẽdicos, qui quo magis innotescitis, minori proculdubiò eritis in pretio.

Vid. Actionẽ Martelleri: & oration. Herdivil.

4 Sed *Anonymus* meus conterraneus non sic est demittendus; quia seriò illum asserit *Casaubonus*, ad *Marianam defendendum, se accingere*,

Pag. 73.

gere. Oggannis tu, *illud* tuum, *mendacium est.* Primò enim affirmat, *Marianam non de Regibus, sed de tyrannis agere: deinde nõ affirmare, vt certam,* sed *vt probabilẽ* adferre eam sententiã. At ista si possint sic sopiri, cur *Cotonus* ita resilit? Cur librum *Marianæ* & doctrinam, justè flãmis vltricibus addictum esse fatetur? *Cessit* (inquies) proculdubiò *tempori.* Sed an non hoc est καιρῷ λατρεύειν (vt rectè animadvertit *Casaubonus*) καὶ μὴ ἀντιπνέειν ἀνέμοισι? Veritatem vt *nasum cereum* sic effingere, vt hùc & illuc flectas pro libitu? Si excusandus esset *Mariana,* quare damnat illum *Cotonus*? Sin aliter, cur ab *Anonymo* defenditur? Hic tu præter Rhetoricas quasdã interrogatiunculas, quod proferas nõ habes. *Vbi* (inquis) *est indefensus Mariana à Cotono?* Vbi *inseruit tẽpori?* Ibi indefensus *Mariana, Cotonus* in epistola ad *reginam matrem,* inservit tempori. Ergo non *quidlibet hic colligit* ex quolibet *Casaubonus,* sed *Cotoni,* hypocrisin ex silentio, *Anonymi,* impudentiam ex defensione. Nam quis alicujus frontis pro cõspuendo Parricidarum pædagogo, adversus prudentissimum senatus-consultum sic interponeret? *Mariana qui minimum affirmat, maximè, imò solùm accusatur. Non luit doctrina, sed author, nec sui causâ, sed habitus, sed auctoramenti, nominis Iesu, quod ipse, & liber præ se ferunt. Inimici sunt sancti istius nominis, qui cõdemnârunt Marianam, propter talem doctrinã.* Ecce quid exuxit noster transfuga, ab *Italiæ* v-

Phocyl.

Pag 74.

Anonym. Anglic. pag. 31.

beribus. Tam fervidus est in *Mariana* causa; vt vno quasi spiritu, injustitiæ, impietatis, apostasiæ, illos *Pontificios* arguerit, qui severius in ipsius dogma aliquid statuêre. Quid tu reponis? Epimonen tuam visitatam. *Non abit hic locus sine mendacio, nunquam* (inquis) *quod Anonymum, istam gradationem & correctionem inveniet*. Quid igitur? *Potiùs ille se corrigit, & quod dixerat odio ips esse sanctissimum Iesu nomẽ; verbis consequentibus explicat*. Ille se corrigit, & tamen istam correctionem apud *eũ nunquam inveniet Casaubonus*? Explicat quod dixit gradatim ascendendo, his verbis. Ex Anonym. pag 31. **It is manifest that the writings of Mariana, could not be condemned for the doctrine they did containe, but for the authors sake that wrote them: not the author himselfe so iniuriously vsed for his owne sake, but for the coate hee weares, and for the badge of the name of Iesus, which both he and his booke doe carry.** Quorum sensum superiùs latinè cum *Casaubono* expressi, & tamen hic nulla est gradatio? Quomodo *Orlãdinus, Tursilinus*, * *Bencius*, & *Valerianus* in Rhetoricis te instituerunt? *Soarez* si consuluisses tuum, nũquam tam puerilitèr cespitasses, nisi forsan te luserit *peritus iste Anglus, qui latinè adverbũ librum reddidit*.

* Lib. 3 Rhet. cap. 26.

5 Hucusq; de nostro *Anonymo*. *Apologista* redit. In quo reprehendit vlteriùs *Casaubonus*, quòd *eorum causam tueatur, qui adversus Protestantes Germanos, Marianam summo stu-*

dio

dio defenderunt. Tua huc redit responsio. *Vindicat* vnà cum illis, *ab aliis eum calumnijs*; non probat ipsius in omnibus sententiam. Ac si vnquam dixisset *Casaubonus*, *Marianam* in omnibus errasse. *Arriani* aut *Mahumetani* nõ eò accedunt demẽtiæ. Laborabas igitur penuriâ, cùm hujusmodi insectareris. Relaberis rursùs ad *Anonymũ*. Qui *Marianam* liberatum autumat, quia libri extant *inter nostros* longè *periculosiores*. Dubitat de hac re *Casaubonus*. Tu ad *Gretserum*, *Pelsterium*, & *Gulielmum Raynoldum*, vt intelligat, ablegas. Non opus erat tuo catalogo. Tàm familiaria sunt ista *Casaubono*, quàm ceteræ vestræ impostura. Quid de grege isto sit sentiendum; respondent Doctissimi viri, *Sutlivius*, *Rainoldo*, tibi, *Abbottus*. Millies sunt ista protrita. Interpellat rursus *Apologista*. *Optandum esset, vt Alastor ille Ravilliacus, Marianam legisset.* Quem in finem? Vt citiùs & alacriùs confecisset paricidium? Egregiè hoc premit *Casaubonus*. *Vidisset Theologũ e societate Iesu, certo consilio, tractantem quæstionem, An liceat Regem legitimum (postquã cœperit tyrannus à paucis seditiosis, sed doctis, appellari) occidere*, & concludentem licere. Vidisset *Iacobum Clementem*, *ob patratum sic paricidium*, magnificis *verbis in cœlum tolli*. An hęc adduxissent *Ravilliacum*, vt regicidium detestaretur? At *mentiendo* hic (inquis) *Casaubonus seipsum superat*. Quod vt aliquibus offucijs colorares, excurris, *Marianam* tuo more retexendo

Pag. 76.

Pag. 77. * In Apolog. Garnetc. 3. §9.

Pag. 78.

endo, per quinq; pœnè paginas. Quas vix dignabitur quispiam perlegere. Compendium igitur hoc esto. Primò titulus capitis *sexti*, non vt *proposuit Casaubonus*, sed simpliciter tãtùm sic se habet, *An tyrannum opprimere fas sit*. Secundò cùm *Henricum* 3. deinceps nominat; nõ illum *subiecit pro exemplo tyranni de quo loquitur*, vt patet ex calce *quinti capitis*, sed ad demonstrandũ tantùm, quàm *metuenda sint principibus multitudinis odia*. Tertiò in quæstionis statu *de Tyranno sic distinguit*; vt sit duplex, vel *usurpatione*, vel tantùm *gubernatione*. *Tyrãnus* gubernatione, sit rursùs duplex; vel *tolerabilis*, vel *intolerabilis*. *Intolerabilis* hic demùm, aut non tollit prorsùs publicum à Republica consilium, vel tollit penitùs. Primus hostis est pub. licus, nec legitimus Princeps, & proinde de hoc non controvertitur. Quid de secundo genere, qui aperto populi consensu, aut *Iure hereditario* imperium tenet? *Eius vitia & libidines ferenda sunt eãtenus, quoad leges honestatis & pudicitiæ, quibus est astrictus, negligat*. Ergò populus erit Regis judex, qui non tantùm inquirat in vitia, sed animadvertat pro suo imperio, cùm constiterit Regem exorbitare? Quos regales subditos, quos subditos reges depingit hic noster Iesuita Politicus? Quid discrimi. nis statuitur, in hujus *dominiũ*, & illorum subjectionem, si tam versatili bilancis inclinatione, munia eorum sic reciprocentur? Violavit leges quispiã, & sistitur regis tribunali? Quàm

Pag. 79.

Marian. De Reg. & Instit. lib. 1. cap. 6.

ex-

expedita est defensio? Rex non stetit pollicitis, constat, patet, incurrunt in oculos ipsius scelera, & libidines, *viri eruditi & graves* observarunt hoc, & detestantur: quid tum postea? *noluimus hunc regnare super nos.* O fidum regis satellitem, & *defensorem provinciæ*! Et tamen egregia hæc *institutio*, à *Cretensi* nostro defenditur. Sed vt premam tua vestigia. De *Tyranno* (inquis) loquitur *Mariana*, quem immanissimum anteà descripsisset. Subterfugium hoc est tuorum omnium, quod textus tam apertè allidit, vt mirer *eruditos vestros*, non anfractuosius aliquod excogitasse diverticulum. Cùm enim *Tyrannus* aliquis audiat, vobis distinguentibus, aut respectu *vsurpationis*, aut *regiminis*: elicitur inde necessariò, vt qui tyrannus evadat secundo modo, *rex* etiam possit esse *legitimus*, vel *electione*, aut *successione*. Ergo diverso respectu, & *rex* idem erit, & *tyrannus*. Iure *rex*, *Tyrannus* moribus. Iam de tali loqui *Marianâ* pag. 80. tute ipse fateris, vbi totam ostendis disputationis seriē. Theses illius sunt, vt à te colliguntur; *Tyrannorum qui iure imperium adepti* (de his etenim vt agnoscis, *ita disputat*) *tyrannicè dominātur, si tolerabiles sint mores, tolerandi sunt Mariana præcipiente, non à privatis modò, sed etiam à republica.* Eruditè sanè, & graviter, tolerandus tyrannus, si tolerabilis, id est non tollēdus, quando majus impendit malum. 2do si sit intolerabilis nec *publicum sustulerit consilium*, à consilio isto *primo moneatur*, sin pergat *secundo*,

Pag 81. do, detrectent imperium. Tertiò, *armis opibusq; se defendant.* Hucvsq; tu. Sed quæ callidè dissimulasti, cetera ex *Mariana* supplebo. Quarto igitur, *si res ferat*, neq; *aliter respublica se tueri possit*, eodem *defensionis iure, ac verò potiori auctoritate & propria, principem publicum hostem declaratum ferro perimant.* Tantum potest in reges, Reipublicæ vnius *consilium*, cùm *œcumenica* orbis *concilia Romano Pontifici* subjiciantur. Vltima restat thesis, vbi *conventus* hic sit sublatus. Si *sublata civibus sit conveniendi facultas, & voluntas non desit delendæ tyrannidis; si scelera Principis manifesta modo, & intoleranda sint*, tum his conditionibus, *privato cuicunq;*

Ex cap. 6 vbi supra.

Ibid. *qui spe impunitatis abiectâ, neglectâ salute in conatum iuvandi rempublicam ingredi voluerit*, facultatem perimendi tyrannum facit. Hæc est *Mariana* doctrina à te proposita. In qua, cum regem instituendum suscepisset, subditos armat in ipsius perniciem. Nec video, quid vobis omnibus, aut *Anonymo* hic displiceat; nisi quod vltimò subjicit, privatim *de privato*. Vix ferendum enim existimatis, regicidam aliquē, nisi ex vestra institutione, & *authoritate Pontificis*. Ex hisce demùm cùm inferas, *immane* esse *Casauboni mendacium*, vbi dicit à *Mariana* cōclusi, *licere legitimū regē occidere*: antiquū obtines, inferendo illud, quod est distortissimum. Quid enim? An qui jure obtinet imperiū, nō est rex legitimus? Nū pravitas morū leges ita abroget, vt quia impius est filius nō erit legitimus?

aut

aut quia *tyrānus Papa* (vt certè [a] parùm probos fatetur, *Stephanum 6. Leonem 5. Christophorum 1. Sergium 3. Iohannem 12.* vtcunq; [b] alios defendat vester *Bellarminus*) irrita statim erit Cardinalium electio? Sed erravit *Casaubonus* de *Henrico tertio*: hujus enim meminit *Mariana*, non vt tyranni, sed vt principis laborantis *metuendo multitudinis odio*. At vndè illud *odium*? Nonne à persuasione tyrannidis? Quare laudat *Iacobū Clementem* Mariana? An quia sustulisset Principem, qui subditis erat *odio*, aut tyrannum potiùs, qui meritò *odium* illud incurrisset? Addit *Casaubonus*, de *rege* illo, & *Monacho*, *Sixti Quinti* decantatū istud panegyricū. Potuisses tu factū negare, vt in *Torto* fecit [a] *Bellarminus*. Sed maluisses in re adeò testata, vt etiam in censura *Senatus Parisiensis* de *Mariana* scripto, pudori tuo, tacendo consulere. At quare indefensos demittis *Romanenses vestros Aristarchos*? Miratur *Casaubonus*, cur cùm alia quędam *Mariana* scripta, vngues ipsorum non subterfugerint, istud tam feliciter equuleum evaserit. Excusat *Apologista*, quia defuit accusator. O argutias! quibus ocium erat nostrorum literulas, apices, & picturas veru jugulare, etiā apud eundem *Marianā Gheras* & *Cubos* Hebræorum, *Iepta* & *Chanices* Græcorū, Romanorum *grana* & *demensa*, *Maravedinos* Hispanorum & hujusmodi ad perpendiculum exigere: non vacavit de opinione (vt ita dicam) tam capitali, *duo* saltem *capita* per-

[a] In præfat. ad controv. de sum. Pont.
[b] De Sum. Pont. l. 4. 68.

Vid. Wormin. Defens. Iurament. fidelit. pag. 128.

[a] pag. 70.

Vid. Index Expurg.

Lib. de Pond. & Mensuris.

percurrere? Videntur vestri de paricidijs parùm esse soliciti, cùm tam pauci sint qui prosiliunt, ad impium deferendum. Interea verò quid si jam prodiret aliquis, ex ista institutione, qui legens serenissimum *Hispaniæ* regem, à *Baronio* tyrannidis esse accusatum, eo nomine (vt alter *Ravilliacus*) illum obtruncaret? Imò quid si pontificem, quem *tyrannum*, vel saltem *Pseudopapam* esse ex jure *Canonico* cõcludat, eadem ratione, vi, aut veneno tolleret, non quà *Papa* est, sed quà invasor *Princeps politicus*; annon faba cuderetur in *censores* vestros, qui paricidalia ista *Marianæ* non diligentiùs expunxerunt? Sed prævenit jam ipsos tandem *Aquaviva vester*. Amisisset forsitan cum *Hoieda* specilla bonus senex, vt non viderit primâ impressione, quid manu & sigillo muniverat. Et tamẽ nescio quo modo *Wechelianis* typis, prodit rursùs liber (vt videtur) munitior, cùm à censurâ, regiâ authoritate factâ, subscribente * *Petro de Onna Magistro provinciali*; tùm regis *Philippi tertij* privilegio. *Ne quis librum istũ nisi de authoris voluntate imprimat, aut alibi impressum, in vniversis Castellæ regnis, proximis decem annis vendat.* Sed regi vt opinor vix innotuere *mysteria* ista *Iesuitica* sexti & septimi capitis; aut persuasum erat hujusmodi stratagemata, in principes tantùm *protestantes* à Iesuitis intentari. Verùm vt relinquamus *Marianam* suis regicidis. Concluso tua est mendaciorum ex *pancis Casauboni verbis*, enumeratio

Vid. supplic. nominis nomini ad Imperatorem Reg. & principes super causis generalis conc. convocand. cont. Paulum 5. Oppẽheim 1613.

Vide authorẽ Gallicum le contr' Assassin. cap. 5.

* Madriti 30. Decem. 1598.

tio. Quæ pro nativa tua facilitate, affabrè multiplicas *Primum* (inquis) *mendacium* est, quòd *Casaubonus verba sua, pro Marianæ verbis supponit.* Acutè! Credideram ego mendacium latuisse in verbis, cum intentione fallendi enuntiãdis, non in mutandis, præsertim cùm sensus æquipolleant. Sed cùm quæstio sit de *tyranno, proposuit* illam *Casaubonus de rege tantùm legitimo.* Hoccinè est *secundum mendacium?* An non qui crudelitate est tyrannus, iure potest esse rex legitimus? *Tertium.* Nõ tribuit *Casaubonus regi mores tyrannicos*, de quo *Mariana* disputat. Hoc non patet ex textu, *Henricum* 3. vt fidum decuit subditum, ab ista immanitatis infamia conatur liberare, de cujus exemplo, quod *quartum* facis *mendacium*, dictum est anteà. *Quintò pauços* pro *multis, seditiosos* pro *gravibus* & *eruditis* substituit. At *multi* isti sunt *pauci*, respectu talis negotii, & *graves* tuos & *eruditos*, quis non in tali scelere *seditiosos* appellaret? Sed nimis multa de *Mariana*, qui dignior Assassinos instituere apud *Mahumetanos*, quàm reges apud *Christianos*. De *Sa* possumus esse pœnè monasyllabi. Pag. 82. Vid. Goldast. replicat. c. 1. & 2.

6 Huic duo objiciuntur. Primum quòd *Clerici rebellio in regem, nõ sit crimen læsæ maiestatis*; quia nõ est principi subiectus. Alterũ, *quòd tyrannicè gubernans iustè acquisitum dominium, non possit spoliari sine publico iudicio; latâ verò sententiâ potest quisq; fieri executor. Potest autem à populo etiam, qui iuravit ei obedientiam, si* Pag. 83.

me-

monitis non vult corrigi, regno depelli. Respondet *Apologista* correcta hæc esse in *editione secunda.* Sed non in *editione Antuerpiensi*, non *Colonienſi* (vt rectè *Casaubonus*) sed in *Parisiensi* solùm, ne forsitan *Henricus magnus* huiusmodi non concoqueret. Quid igitur? errasséne eum agnoscitis? nequaquam. Sed infirmi nonnulli, *mysterij vestræ iniquitatis* non satis capaces, malè ipsius verba interpretantur. Ergo nõ dissentit *Sa* à ceteris, sed loquendo apertiùs, quam par est, videtur ceteris incautior. Sic *Apologista. Tu* subtiliùs, vt *Bonarscius* anteà *iocose*, *Apologista* posteà *hyperbolicè*, loquutos asseris: Ita *Emanuelis* illos *aphorismos*, excusabit *festinatio.* Expeditum profectò respondendi genus, quod mirum est citiùs tibi in mentem non venisse. Hoc enim, *Baronium, Bellarminum, Toletum*, & levioris armaturæ volones faciliùs anteà liberasses. De *Mariana* etiam, quàm lepidum esset asserere, *ioco* illum ista de tyrãno pronuntiasse, hyperbolicãs loquutum *Ribadeneiram*, excidisse cetera ceteris, *nimium festinãtibus.* Quid indignaris? recurrit ad hæc nõnunquam *Augustinus tuus Bellarminus.* De *Chrysostomo*, *loquitur per excessum*, immò Papã sic excusat nonnunquam *Caietanus.* Non sine exemplo igitur hoc profers, frigidiùs tamen hic succurris quàm alibi. *Hæc quàm verè ab eo* (nempè *Emanuele Sa*) *scripta* sint *in præsentia* (inquis) *non disputo.* Ergò nec quàm falsa sint, necessarium est, vt ego ostendam. *Illud* (ais) *affirmo, poc*

Lib. 2. de Missa cap. 10.

In 2. 22 q. 1. ar. 10.

tuisse

tuisse hæc ab eo dici defendiq, sine vllo respectu Pontificiæ in Principes potestatis. Patet primùm annon eximi possint *Clerici à subiectione principum, si Principes sponte suo iure, si quod in eos aliqui habeant, abdicent?* Nec secundum est obscurius. Quid enim? An *nulla est alia publica sententia*, quâ latâ irruat exequutor in tyrannum, *præter Pontificiam?* Hic autem de authoritate *regis nostri Henrici, de capite Ecclesiæ parlamẽtario, de Belgis* millies retusa, regeris. Quibus strictim sic occurro. Possint quidem & solent pij reges quamplurima Clero privilegia indulgere. Possint etiam si libuerit sceptra abdicare, & munus illis *à Deo immediatè impositum*, superstitione (vt fecerunt nonnulli) iniussu cœlestis imperatoris relinquere. Sed illud hic non quæritur. Hoc expedias decet, si reges loco subditorum, Ecclesiasticos, vt par est, habeant, si sistant ipsos delinquentes ad ipsorum tribunalia, si convictos puniant, deponant, vltimo (si mereantur) supplicio illos afficiant; num diuino iure, aut authoritate Pontificiâ, inde deductâ, à subiectione tali eximantur? Nos negamus: tu non aggrederis probare. Divertere autem ad *beneficia principum in clerum*, cum *de iure* agatur *Clericorum*: referendum est ad *nervos tuæ Logicæ*. Vindicanda erat *Sai de Clericorum exemptione*, absurditas. Tu non tàm ponis, quã supponis, non quid Principes faciunt, sed quid possint facere. Interim accipio libenter, quo parvam apud tuos, præsertim apud *Bellarminũ*, Pag. 84.

inibis gratiam. *Quisquis ledit eam Rempublicã in qua vivit, cuius pars est, cuius commoditatibus vtitur, cui pietatem, & charitatem, vt patriæ suæ debet: is impietatis, ac paricidij publici reus est; quod læsæ maiestatis crimen appellari meritò, & potest, & debet.* Quod positioni *Sai* prædictæ è diametro adversatur. Iam verò cùm de *altero* agatur *aphorismo*, quàm exile est de authoritate exoticâ verba facere? Num credibile est *Saum*, licet in genere loquatur, hanc inclusisse. An Regi vel *Capiti* (vt tu nugaris) *Parlamentario*, per vestra licebit placita, tyrannicè gubernanti, leges imponere? Non quod *de genere* igitur *dictum est, refert Casaubonus ad speciem*: sed sumit, quod vos omnes supponitis, ad detegenda monstra quæ alitis. Quam prodigiosum enim est hoc, vt quot princeps habet *Clericos*, tot paratos foveat in sinu sicarios? qui ad nutum intonantis Pontificis, sine læsæ maiestatis crimine, capiti ipsius insidiantur: et cùm pinguedinem exugant patriæ, non nisi ad placitum inserviunt. Sed *locustæ regem non habent*. Tu hic non pugnabas, sed fugiebas. Sequor. Specimina quędã obseruat, & perstringit *Casaubonus*, non obstinatiæ tantùm in *Apologistã*, sed *arrogantiæ Iesuiticæ*; *Iesuita non potest esse hæreticus*; & *imperium literarum est penès Iesuitas*. Quis enim nisi frontis ferreæ, & plumbei planè pectoris, tã pueriliter se venditaret? Nunquid *Loiola* plus concessit suis, quàm reliquit *Christus* Christianis? *Ecclesiæ* tantùm *representativæ*, aut *Papæ*

Prov. 30. 27.

et

ex ſella *Petri* decernentis, audivit hactenùs *Caſaubonus*, hoc fuiſſe privilegium, & omnibus tandem Ieſuitis obvenerit? Sed non tam ridiculè hæc ab *Apologiſta* proponuntur, quàm à te repelluntur. *Ieſuitæ* (inquis) *non poſſint eſſe hæretici, dum in ea fide & religione permanſerint, quã tenent.* Hæc autem cum à vobis ſupponatur *catholica* eſſe & *veriſſima*, perinde eſt ac ſi dixiſſes, non poſſint eſſe *prodtores*, quamdiù fidi permaneant, nec mendaces quamdiu non mẽtiantur; quod diabolo etiam concedas, non poteſt al. cui nocere, quamdiu non nocet. Sed ſubtilitates ſunt iſtæ recõditæ *Ieſuiticæ dialecticæ*. Quod autẽ ſpectat ad *Imperiũ literarũ*, quod tãto pruritu ambitis; nõ debitum eſt illud vobis magis, quàm *Pontificibus* in Reges *dominium*. Objicit *Caſaubonus Pariſienſes*, qui prereptam vix ferant iſtam lauream; ſed tales nõ libenter in arenam provocas. Equidem de vobis & diſciplinâ veſtrâ, ſic doctiores plerũque ſentiunt, vt cum plurima in illa quæ laudent, inveniant; nihil admirentur præter hiſtrionicam quandã impudentiam. Circumferuntur veſtra, & à pueris noſtris exagitantur, in *artes dictata*. Quid habet *Toletus* in *Logicis*, quod tantæ expectationis molẽ ſuſtineat? *Fonſeca*, *ſuppoſitiones*, *ampliationes*, *diſtractiones*, & *reſtrictiones*, (vt reliqua taceam) tam moleſtè recoquit, acſi grammatices ignaris tradidiſſet *Logicã*. Quid *Ruvio*, qui nuper edidit *dialecticas controverſias*? Annon tã inſulſè *Metaphyſica*, *Phyſica*, & neſcio

Pag. 86.

Inſtitut. Dialect. lib. 8.

nescio quas sordes infarcit, acsi logices ipsius pomœria nũquam perlustrasset? Sed *Indis* forsan scribit, non *Europæis*. *Conimbricenses* tam accuratè hic ineptiunt, acsi de phraseos tantùm puritate, non præceptorum Methodo, & soliditate fuissent soliciti. In summâ, de *methodo*, ac *praxi logices*, tam jejuni sunt & flaccidi, in subtilitatibus ridiculi, in omnibus heterogenei, vt non video, quid ex ista fæce expectares magni, præter bullatas nugas, & sophismatum congeriem. Hinc [a] *Gretseriana*, ex *compito, trivio, & textrino*, [b] *Cãpiani*, ex *rebus & reculis*, elicitę *demonstrationes*; hinc ridiculæ tergiuersationes, [c] *Bellarmini*, non sequitur *secundum regulas dialecticorum, sed prudẽtiæ*; [d] *Bauaricorũ, responde in forma*, [e] *Albertini, Corollaria Theologica ex princ. pys philosophicis* & similia; quibus *logices* vestrę latifundia in immẽsũ propagatis. *In physicis* autem cùm de *Pererio, Toleto*, aut *Conimbricensibus* inciderit mentio, *Zabarella, Picolomineus*, & *Philippus Faber*, detrectant Imperium. Quid *Suarez* & *Fonseca* in *Metaphysicis*? annon vexantur nominatim à *Montagnolo*, & aliis, cum vel latum tantùm vnguem à *Thoma* deflexerint? nec ex altera desunt parte subtiliores *Scotistæ*, qui steriles vestras theorias in fumos dissipant. Vernaculi autem novitij, quid mirum est, si vestro solùm se subjiciant *imperio*? cùm integrum tantùm sit doctiores Philosophos, per *clathra* miserè *incarceratos* conspicere. Quos interim per spine-

In Logica Mexicana.

[a] In demonst. quorundam fidei dogmat. ex commun. notionib. c. 1 Ingolst. 1606

[b] Rat. 10.

[c] Lib. 1. de Purgat. cap. 4.

[d] Colloq. Ratisp. Protocol Neuburg. pag 116.

[e] Ad Bellar. Lugdun 1610

ta

ta clamosè altercandi more vestro sic deducitis, vt si dictata ad vnguem teneant, scientiæ tamen principium aut exitum non omninò inveniant. Sic volutat in Mathematicis *Clavius*, sine delectu, sine Methodo, & reluctante (vt videtur) Genio. Delineat *Franciscus Vieta*, quid in *Calendario reformando* præstiterit. Pueri videant, quàm plumbeus sit in *Astronomicis*, quã non excitatior in *Arithmeticis*, & *Geometricis*, infans in *Algebraicis*, confutus in omnibus: Nec felicior successit vobis *Theologia*. Quæras à *Cumel*, *Ripa*, *Cabrera*, *Alvarez*, *Nugno*, *Navarrete*, quid sentiunt de vestris *Scholasticis*, & observabis (ni fallor) nõnullos, vt [a] *novitios* notatos, & [b] *Aretagolos*, quos pro merito dedolarent, nisi Papæ *de Auxilijs* interveniſſet auxilium. *Insolubile est argumentum Suarez* (inquit [c] *Nugno*) *propter intricationẽ, & obscuritatem; non difficultatem. Bellarmino* plus forsan debetis, in controversijs hujus seculi; sed non vident tamen plurimi, cur *Stapletono*, *Alano*, *Sandero*, tam super. ilioſè imperitaret. Quinimò quæ argumenta, quas rationes adducit, de quibus antea à nostris *Iuello*, *Calvino*, *Chemnicio*, diù non fuit deliberatum? sed *tumuli* vestri sunt *Olympi*, *gregarij*, *imperatores*. Ferruminet aliquis *Iesuita*, *Patrum* vel *Scholasticorum* nõnulla placita, sic vt volumen picturis aliquibus speciosum, prodeat in *folio*, tum

Cedite Romani scriptores, cedite Graij;
Nescio quid maius nascitur Iliade.

[a] Navarrette in 1. part. Thom. in præfat.

[b] Cabrera in 3 part. Thom tom. 2. q. 18. art. 4 disput. 2 § 4

[c] In 3. part. Thom q. 62. art. 5. tractat. de Auxilijs.

Bonars. Ribaden. Possevin.

Producitur μετὰ πολλῆς φαντασίας in *Honoris Amphitheatrum*,

Forma, figura, locus, stirps, nomē, Patria, Tēpus, huius, si dijs placeat, *Individui*, posteris seris commendantur.

---Nunc non è manibus illis,
Nunc non è tumulo, fortunataq́; favilla,
Nascentur violæ? ----

Intereà nostri vobis non invident ista proscenia. Animadvertis quàm ingenuè *Casaubonus, virtutem in hoste laudat*, & quorum non parcit hæresibus, eruditionem evehit. At vbi quæritur, *an propria reformatorum nomina, expungi & deleri debeant*; non ex scriptis prohibitis, *sed ex ijs libris qui legi permittuntur*: Respondeo (inquit[a] *Azorius*) *vsu esse introductum, vt deleantur, & proinde expungendi sunt, nisi in libris Catholicorum nominentur per ignominiā, & contemptum, vt confutentur prava eorum dogmata.*

Sic vos non vobis fertis aratra boves.

Ita[b] *Possevinus* nuper (vt[c] *Fabricius* anteà *Tremellij translationem Syriacam*, & *Villavincentius Hyperium de ratione studij Theologici*) Iamesii *Cyprianum Redivivum in Apparatū Theologicum* transtulit, & suum fecit. Ita satis pro eodem imperio *libros* etiā[d] *manuscriptos e Bibliothecis principum* deposcit ad *Purgationem*. Vnde *vestro* subjiciuntur *imperio*, antiquiores, *censuris*, recentiores, *plagio*. Esto verò, hæretici nos vobis sumus, vt vos esse nos probamus; annon *gratia gratis datæ* in *hæreticis* & *schis-*

[a] Instit moral. lib. 8. c. 16

[b] Tom. 1. pag. 362.

[c] Vid. Rainol. de Idolol. p. 120 & in prælect.

[d] Lib. 11 Biblioth. select. c. 12.

ma-

maticis eluceant? Sed

Liuor iners vitium mores non exit in altos,
Vtq; latens imâ vipera ſerpit humo.

Erunt interea ſemper in Dei exercitu, parvuli *Davides*, quos *ſpurijs* veſtris *Gigantibus* fidē-ter opponamus. Hos etenim *compilatores* potiùs æſtimamus (iuxta *Bonaventuræ* diſtinctionem) quàm *Authores*. Qui cōſarcinant plerumque quod habent, ex aliorum elucubrationibus, à quibus integrum eſt vnicuiq; hæc incorruptiùs petere. Interim petunt à vobis *principes* vt *imperium* veſtrum *chartaceum*, non extendatur in poſterum, vltrà *pulverem ſcholaſticum*; præſertim cum foveant *conſiliarios*, qui de *temporalibus* hiſce *regendi negotijs*, nōrunt multò rectiùs & expeditiùs ſtatuere. In Prolog. 1. Sent. q. 4.

Cap. 6.

De Andrea Eudæmon-Iohanne.

Oppo sit pag. 29.

NON temerè observatum fuit à *Tholosanis Doctoribus*, *Iesuitā esse omnem hominem*, *cùm ferat occasio*; *vt Vertūnus* alter, aut *Proteus*, qui *lapidem* gestat & *panem*, calidum sufflat, & frigidum, transfodiens cum *Ioabo*, dum salutat, & cum *Absolone* deficiens, dùm impensissimè adulatur. Exemplo tu hic es luculento, qui cùm superiùs vt *Cacodæmon* debacchatus fueris, hic vt *Eudæmon* nominis memor sedatè agis. *Gratulor* (inquis) *quòd aliquem aliquando nactus sis* (*Casaubone*) *maledictis & convitijs tuis dignum*. *Scio ego peccata mea, quibus æternam ignominiam sæpe sum promeritus*. Et posteà, *Gemitus meus à Deo non est absconditus*. Facilè credimus: nam apparet *iste gemitus*, in lugubri illa tua *pro Garneto Apologia*, nec in *Parallelo pro Torto*, *Torturæ tuæ absconduntur*. Specimen etiā hic exhibes in quavis ferè pagina, quàm seriò ingemiscis ad *Casauboni* temeritatem. Sed nescio quid tibi per dilucida intervalla soleat accidere. Si syncera sit hæc confessio, non deerit proculdubiò sacerdos

Pag. 89.

cerdos, qui te absolvat. Expectabimus igitur in sequentibus summam lenitatem, & virginalem pœnè modestiam. Indignatur primò *Casaubonus*, plus haberi fidei, *Cretensi de rebus Anglicis* quàm *Regi veritatis amantissimo, & publicis actis Reipublicæ*. Nam cum de rebus *Moschorum Moschis, non invitis omnes credamus, Turcis de rebus Turcarum, Iaponibus* de rebus *Iaponũ*: prodigio videtur simile, vt verisimilior esset in hac nostra Republica, *Cretensis nescio quis Rhetorculus, mendacissimus nebulo, & rerum falsarum hamaxarius*; quàm ipsa (vt ita dicã) nostra respublica. Vnde à comparatis duci patet *Casauboni* rationem. Termini sunt *Cres.* & *Respublica Anglicana*. Quæritur *vtri potiùs de rebus in Anglia gestis sit credendum?* Discrimen aliquod videtur in testimonijs. Is tamen est *Apologistæ* candor, vt tantorum, in re tali, sic publicâ luce gestâ, sic compertâ, affirmationi; talis, tam suspectæ fidei, ex rumusculis collecta, præponderaret negatio. *Casaubonus* igitur, non tuam Paternitatem, sed *Apologistam* directè impetit. Quæ tibi accedunt epitheta, obiter tantùm adjiciuntur, vt comparationis eò luculentiùs constaret iniquitas. Sed ardebit (vt video) per te proximus, incalescat modò tuus paries; vtcunque hæc ducis ornamento ab *haretico profecta*, Pag. 90. *& sit eur ipsi agas gratias. Dissuaserunt amici tamen, ne moderatio hæc verteretur in diffidentiã*. Admonet te illud *Celsi, oportere medicum esse inclementem*. Interim *Apologista* meditetur pro se

se *apologiam*. Tu nominatim lacessitus tuæ prosequeris.

2 Primum igitur vrit, *Cretensem* Græcùmq; *te tertio quoq; verbo per contumeliam appellari*. Tertio quoq; verbo? immò per 89 quas enumerasti, vix 6ta quâq; paginâ. Sic in limine quam es defensurus, prodis patriam. Sed nec *Casaubonus* hæc habet de proprio; veteres (inquit) *Græcis*, multa vitia dixerunt esse propria, & *Cretensibus mendacitatis palmam tribuere*; vnde nata proverbia *Cretensis Cretensem*, *Cretensis cum Ægineta*, & *Cretizare cum Cretensi*. Plutarcho κρητίζειν est *mentiri*. Infinita pœnè sunt hujusmodi gentis tuæ eulogia, quæ ego non corrado. *Logicam* potiùs tuam inspicio. Etenim vbi tu præcipuè Acumen in *Casaubono* desideras; ibi maximè conspicua est tua ocitantia. Nam quomodo gentis odia is in se irritaret, qui in vno tantùm reprehendit, quod obiectum erat omnibus? *Sed habet* (inquis) *nunc ea natio permultos viros eruditos, qui Casaubonum in Græcis auditorem* vix admiserint. Credo facilè, quia citò illos in ruborem daret; cum *Hodierni Candiani literas non discunt*, si verum sit, quod habet *Petrus Martyr Mediolanensis, legationis Babylonicæ* lib. 2do. Sed vtcunq; se habeant *Cretenses*; illud tamen à sapientibus nunquam obtinebunt, vt vnius ex illis transfugæ, plus fides valeat, quàm totius Reipublicæ, de rebus propriis publicum testimonium. Hîc autem cum pergas cœco impetu, nõ Ca-

Vid. Hieron. in 3. cap. Ep. ad Galat.

Pag 91.

Apud Claudium Espencæum in cap. 1. Tit.

Casaubono, sed *Apostolo* litem intendis; quis nescit hoc esse Apostoli, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία? *At vox hæc* (inquis) *nata est ex mulcebri convitio*: Ideóq; non magni facienda *à gravi viro*. Ergóne tibi *vir gravis* non erit *Apostolus*, qui illud fecit tanti, vt in *Epistola Canonica* referre non dubitârit? Deinde quis nisi purus putus vitilitigator, ita singula torqueret? Author *Casaubono* est *Apostolus*, non *rixosa mulier*. Sed tibi erat satis fragmentum *Ptolemæi Ephæstionis*, & nomina *Athenodori* & *Antiochi*, *Photii Bibliotheca* recitasse: nec animadvertisti ex eodem, quàm author iste *Ptolemæus Ephæstion* sit *subinanis*, *& in arrogantiâ proclivis*. Continent (inquit *Photius*) ipsius 7 libri *prodigiosa multa*, *& falso conficta*, *quodq; absurdum magis est*, *quarundam etiam fabularum causas*, *ob quas vix euenisse putanda sunt*, *reddere conatur*. Quod si ista non valeant, videas *Andream Schottum* tuum ad marginem: *Observa* (inquit ibidem) *hic latissimum τοῖς φιλομύθοις ματαιολόγοις campum aperiri*, *dum è tot falsis mendaciores fabulæ producuntur*. Sed quis *Cretensium mendacissimo* aptior author, *fabulosissimo* isto *Ptolemæo*, per quem proverbii ab *Apostolo* probati, fidem elevaret? Tam nativa autem sunt tibi mendacia, *vt vnicum hoc Cretensium*, *reliquarum gentium verè dictis*, multò *præstabilius videatur*. Illud verò sic conficis; *Cretenses dicuntur mendaces*, quia *Iovis ostendebant sepulchrum*, *cui reliqui Græci immortalitatem as-*

Pag. 92. Tit. 1. 12.

Pag. 181. edit. Schot. 1606.

Pag. 93.

se-

serebant. Num igitur, vt valeret argumentum, *sepultum esse Iovem apud Cretenses*, ett mendacium? & verè dictum eundem esse *immortalem*? Caveas ne sic à mendacijs, ad *Paganismum* delabare. *Apostoli* interim correptionem levitèr hoc modo excutis, *vbi tunc terrarum Creta nõ fuit?* ac si diceres, quid repetis (*Paule*) à *Medea* ista *venefica*, *Cretenses esse mendaces*? an non hoc lõgè latéq; inter ceteras nationes serpti. set etiam vitiũ, sic vt *Cretensium laus videatur*, quòd non deteriora objiciuntur? O si *Tito* innotuisset hæc subtilitas Iesuitica! levasset proculdubiò seipsum molestissimo prædicandi onere. Interim miror te negare, non alia præter mendacitatem vitia, *Cretensibus* ab *Apostolo* objici. Videntur fuisse *rebelles*; ergò *Admone* (inquit) *illos principibus & potestatibus subditos esse*; forsit an etiam fuerunt *maledici & litigiosi*, sequitur enim, *ne cui maledicerent*. Sed *à pugnis sint alieni*. Verùm rebellio, maledicentia, rixæ, in *Imperio vestro Iesuitico* vix habentur vitia. Reliqua quæ deinde attexis, de *Institutione vestra cum Lacedamoniorum fere eadem*, de *tribus Iudicibus*, de *Basilio*, *Chrysostomo*, *Nazianzeno*, & *ceteris Græciæ heroibus*, tàm facilè in te retorquentur, quàm præter scoptum à te ingeruntur. De primo accipias *Polybium*, *Non inveniat* (ait) *quisquam privatos magis subdolos*, nec *iniustiores pro proportione studii*, *quàm Cretensium*, *demptis planè paucis*. Et post plurima de de talibus interiecta, tandem concludit, proinde

Tit. 3. 1.

Vers. 2.

Pag. 94.

Lib. 6. Vid. Espenc. in Tit. c. 1.

inde *Rempublicam Creticam, nec Laconicæ similem, nec aliàs electam esse, aut æmulandam.* Vides igitur antiquos non omnes à te esse. *Iudices* (fateor) *infernales* à vestra disciplina prodiisse. At inter *Patres Græcos*, nullos à te citatos, *Cretenses* fuisse animadverti. Iesuita tu videris solus ex isto solo, qui mendaciis tuis, & πολυπραγμοσύνῃ id efficies; vt pateat, magis magisq; omnibus, execranda vestra *Societas*. Nec tamen sic arguit *Casaubonus, Cretensis es, ergo nebulo mendacissimus: sed nebulo es mendacissimus*, ergo *propensiones à natura insitas* Iesuitica disciplina non correxit. Quare non quadrat (quod huc torques, de *servatore*) *Galilæus est, ergo non potest esse bonus*. Nec enim *Christus natu Galilæus*, nec si fuisset, rectè conclusisset, aut *Nathanael*, vel *Iulianus*, à gentis *proclivitate*, ad *actum* cujuslibet individui. Novit siquidem *Casaubonus*, *naturâ* ceteris mendaciores: *gratiâ* posse corrigi; sed non observavit in tua indole, tales scintillulas. Pag. 95.

3 Alterum quod lædit patientiam, *Rhetorculum, Sophistam*, sive *disertulum Oratorem, te à Casaubono tantùm haberi*. Deinde *non peritum videri historiæ Ecclesiasticæ, non versatũ in patribus, aut institutis veterum*, imò in *lingua* (quam iactas) *vernaculâ*, infantem planè & hopitem. Quæ quemvis reverà pungerent, præcipuè verò *Theologum* ex *imperiali Iesuitarum Schola*. Ideoq; cristas hic indignabundus erigis, & phylacteria dilatas. *Tu absolvisti studia* 96. 97. 98.

Theo-

Theologica, *Patres percurristi, Philosophiam Romæ, scholasticam Theologiam Patavii explicasti, iamq; moderator es constitutus, Neapolitani vestri Collegij.* A puero quidem *Orlandinum,* Pag. 99. *Tursilinum, Valtrinum, Bencium,* audiveras; sed inde ablactatus à Rhetoricis, ad *scholasticorum* dumeta migraveris. Ergo *Grãmaticis* tantùm *oculis* scripta tua *Casaubonus* inspexerit. Non 100. *multum intelligit in Historicis*; qui te in iis ignarum esse autumat. Nec verisimile est *Correctorem preli Græci, in officina Stephaniana, exhausisse potiùs istius linguæ thesauros*; quàm is qui eam *insuxit, cum lacte à nutricibus, & nonnullo perfecit posteà studio, & diligentia.* Iam vt *Patres* te legisse constaret, *Origenem, Gregorium Nazianzenum, Chrysostomum, Augustinũ, Cyprianum, laudatum à Hieronymo,* turmatim advocas, ad eloquentiæ patrocinium; & in *Dialectices* posteà encomium, integram pœnè ex *Augustino* imples paginam; vt intelligat *Casaubonus* in promptu tibi esse, quod opponeres ex *patribus*, si incipiat (quod adhuc non fecit) vituperare *Logicam* aut *Rhetoricam.* Sed ne stomacheris ita (mi *Andrea*) ad tetrici hujus senis, non iniustas animad versiones; legit e- 101. nim adhuc abiq; specillis, nec vulgaritèr crede mihi extra *Critica* (quæ obiectas) *Abecedaria,* 102. in omni genere literaturæ, ad amussim, sapit; *Scholasticos* (vt reliqui nostri) non contemnit, sed ex illorum *sterquilinijs, aurum colligit.* Illorum verò speculationes de *mure comedente Eu-*

cha-

chariſtiam, de *corporum glorificatorum ſtatura*, de *formalitatibus*, *hæccietatibus*, & hujuſmodi, diſcutit cùm opus ſit, & expendit; nec tanti tamen facit, vt in ijs Theologiæ ſuccum repoſitum eſſe exiſtimet. Tua verò eſt culpa, quòd tã negligenter te habeat: artis forſitan eſſe putas celare artem. Nam qui à capite ad calcem opera tua diſcuteret, tot interſperguntur *ſales*, tot infarciuntur *cõvitia*, vt vix exiſtimet illum, qui iſta ſcripſerit aliâ ſupellectile abundaſſe.

4 Atq; iſta generatim de *patria*, & *patrono*, quem invenit *Gallicus Apologiſta* ad Anglos revinciendos: pergit deinde *Caſaubonus*, vt guſtum ſpeciatim præbeat, quàm ingenuè ſe geſſit *Græculus* in toto illo negotio. Itaque ex capite primo *Apologia pro Henrico Garneto* meritò perſtringit, quòd rumuſculis inſtructus fugitivorum, auritum animal, ad tanti momenti cauſam accederet. *Monachi* fuiſſet in *Cella* ſe continuiſſe, moderatoris *Neapolitani* intra Collegii proprii pomœria. Quid *ſcholaſtico* cũ politicis, *Cretenſi* cum *Anglorum* negotiis? tãtúmne otii eſt a *tranſcendentibus*, ad arcana Regni tam deſultatoriè tranſilire? Occurris tu hiſce omnibus, *mendacium hoc non eſt*. Quis aſ- 103.
ſeruit? facta hic narrantur (mi *Andrea*) *mentientis*, non dicta. Negas deindè *arcana regni te aut reſciniſſe*, *aut quæſiviſſe*, ſed *arcana* tantùm *nonnulla*, qualia ſunt illa in *Apologia Garneti*, 104.
p. 3. 155. 156. *quæ arcana quidem ſunt*, *ſed non regni arcana*. At ſubtilitatibus non aſſuetus *Caſaubo-*

saubonus, concilia *de salute Regis, & Regni, de detegendis parricidiis, & puniendis*, de *impediendis sceleratorum cuniculis*, qui sub religionis larua, *internecionem* intentant adversantibus; non *arcana* tantum in regno, sed *arcana regni* appellanda existimavit. Vos si acutiùs distinguatis, dummodò de re cõstet, parùm interest. Iam quòd huiusmodi te narras accepisse a *Laicis*, aut *Literis*, aut *Grenwello*; vix attingit illud quod vrget *Casaubonus*. An digni tibi videntur, huiusmodi superstitiosi tenebriones, quos totius Reipublicæ Coronæ tam fidenter oppo neres? Adde quòd *Grenwellius* coniurationis reus, quid nõ fingeret ad causam suam probãdam? *Laici* autem tui *maturâ iam ætate viri*, qui patriam relinquunt, vt vobiscum degant, fortasse incipiunt delirare. *Literas* verò, qui aliquid hic intelligunt, pauciſſimi credo sũt, qui solent ad tui similes mittere. Ergò nec *falsarius est Casaubonus, nec verba tua depravat*. Asserit de rebus *Anglicis*, speciatim verò *de coniuratione pulueraria*, necesse esse *necessariò pleraque te ignorasse, plura qua sunt falsa pro veris credidisse*. Probat, quia non sufficit ista tua cũ *Anglis familiaritas*. Cùm enim *proditores* plerumq; sint, aut *perduelliones*, idonei non *possint esse inter nos & vestros internuntii*. Sed noto tu artificio novisti aliquid addere, vt rumores transeant in historias, & narrantis importunitate invalescat mendacium.

Pag. 105.

106.

5 Cap. 2°. quæ stringit *Casaubonus*, de vestra

ſtra mentiendi arte, recurrunt poſteà capite vl- pag 107.
timo, vbi quæ tu reponis, aptiùs examen ſube-
ant. Capitis 3. diſputatio, ita palam falſa eſt (ait 108.
Caſaubonus) *nempe Ieſuitas nihil docere, de Papæ omnipotentia in principes, quod non pariter defendant omnes Catholici: vt veriſimile eſt ſine riſu te non iſta ſcripſiſſe.* Hoc vt pleniùs intelligeres ad *Torturam Torti* te inſtituendum ablegat, *ſed curavimus Babylona & non eſt ſonata*; provocas tu ad *parallelum*, vbi mirarer certè à tam *exquiſito ſcriptore* te nil didiciſſe, niſi innotuiſſet omnibus *faſtus Ieſuiticus. Scholaſticus* apud *Hieroclem* exploraturus, quomodò ſe deceret ſomnus, *clauſis oculis inſpexit ſpeculum.*

6 A doctiſſimo noſtro Epiſcopo ad *VVidringtonũ* veſtrum excurris, quid patravit? *Lateranenſe* ſcilicet *Concilium* ſub *Innocentio tertio*, & *Lugdunenſe ſub Innocentio quarto, erroris* 110.
arguit. Piaculum! Ergo non omnes veſtri *Catholici* de *Pontificis omnipotentia*, cum Ieſuitis ſentiunt, niſi qui fortè Ieſuitas oppugnat, *Catholicus* eſſe ſtatim deſinat. Ex inſequente maledicentiæ tuæ *Apologia*, quâ refigis planè il- 111.
lud quod profeſſus fuiſſes anteà in *Danæum*, de *modeſto ſcribendi genere*; æſtimet rectè quiſpiam, (quod objecerit anteà *Caſaubonus*) *diſertulum* te eſſe *Oratorem*; qui noverit tantùm, *Gorgiæ inſtar*, in vtramq; partem declamitare. Addis *te præcipuè curaſſe*, vt *ſale* potiùs *iocoq́*, 112.
quàm *convitio* perſtringeres adverſarios. O *ſalſum iocularemq́, Collegij Neapolitani Modera-*

torem! adeóne tandem eviluit, *Pontificis & principum potestas*, vt *salibus* & *iocis* nunc demũ disceptaretur? Hinc alia igitur elicitur *Iesuitarum* distinctio; quidam sunt (vt suprà) *viri graves*, & *eruditi*; tu verò ex *salsorum* videris esse classe & *iocosorum*. Videat interim *Possevinus* vester (qui *Huartij Ingeniorum examen*, tam sù-
percilioſè perstringit) quàm aprè abligantur
Pag. 113. *Scholasticis iocularia* hæc *Ingenia*. Trà sílis hinc cõfestim, ad reverẽdos nostros *præsules*, vt *sales* tuos & *iocos*, illi etiam persentiscerent: hos *nomine solo, ac vestitu præsules, præfecturæ Ecclesiasticæ* causâ *nominare* non *vereris*. Rectissimè! neq; alitèr se gereret *Davus* aliquis, aut *Parmeno*, cuius personam animadvertimus te susti-
Apoc. 17. 5. nere. Desunt illis *petasi*, nec *mysterium* habent *in fronte*, capitalibus inscriptum literis, quæ venerationem, nescio quam, incuterent. At nec hos (inquis) nec *proceres* (vt mentitur *Casaubonus*) vspiam dixi in Apologia, *sanguinis Catholici avidissimos*. Inspiciatur contextus: verba
Apolog. pro Garnet. cap. 2. pag 18. tua sunt, *vsſit ea res homines Catholici sanguinis avidissimos*. Quæ res? vestrorum *æquivocatio*: quos homines? qui leges in illos tulerunt? & an non hi præcipuè sunt *præsules* & *proceres*? Excidisset pœnè quod de excellentissimo viro *D. Edwardo Coko Casaubonus* subijcit, & *Martyrum catalogo*. Regrederis igitur, vt hîc etiam
Antilog. c. 6. sales dispergas tuos. Ac Martyrum istorum *Catalogum* sic lustravit] & idecimavit venerandus *Abbottus*, vt constet *Coki* clarissimi integritas,

tua

tua autem insciția, & ad quidvis asserendum proiecta audacia. Sed emersit (inquis) *Cokus linguæ volubilitate è tenui admodùm fortuna ad eas opes, quas* habet. Si linguę hoc accidisset virulentiâ, vel petulantiâ, spes aliqua effulsisset de tuo etiam progressu: sed honesto natus loco, & nobilibus parentibus, nec anteà caruit, quod ingenuo esset necessarium, neq; nunc assequutus est, quod industriæ, doctrinæ, fidei, & sumæ in rebus solertiæ, non planè esset debitum. *Arrogans* forsan videtur tui similibus, quia larvas vestras animosè detrahit, nec segnitèr agit causam religionis & patriæ. Ista verò de nomine ῥήματα μαγειρικὰ, nempè *Coqui Ignominiam Casaubonum commovere, quia delectat illum Coquina Anglicana nidor*, & similia; expectanda fuerunt, à tali *lixa*, cuius *animus* sic est *in patinis*, vt inter *Cokum* & *Coquum* discrimen non animadvertat. Pag. 114. Lucian.

6 Hactenùs de Infami tua *Garneti Apologia* extiterit altercatio, hinc *Parallelus* ad finẽ huius capitis extenditur. Quem dũ *fœtidissimorum convitiorum, & impudentissimorum mendaciorum cloacam meritò appellet Casaubonus; Asini, nebulones, bestiæ, & Diaboli*, quos ex *Luthero* subiicis, sentinam istam non exhauriunt. Ac in *Luthero* quidem laudandum, quòd non mores tantùm asperiùs corripit, sed dogmata etiã Antichristiana, heroicâ, vt par erat, simplicitate, profligavit. Tu verò vt (in præfatione fateri non pudeat) *dogmata* quæstionum præter- Præf. parall. ad finem. 156

mittis, vt totus esses in eructandis convitiorum frustulis. Nam vt ex libris inspectis patet, & rectè observavit *Casaubonus*, & nervosè comprobârunt, eruditorum nostrorum par, *Collinus* & *Burhillus* tùm potis tua est garrulitas, clarissimi illius *Episcopi* pondus sustinere, quàm ad *extorquendam* ab *Hercule clavam*, *Theodamas Lydius*, aut *canes Arcadici* ad *lunam* è sua sphęra detrahendam. Instantiis si hoc firmarem, actum agerem. Conscius etenim es tibi, nec hoc à te tentatum, nec à tuis fuisse impositum.

Amissis Troilus armis,
Infelix puer, atq; impar congressus Achilli:
Huic cervix comaq; trahuntur,
Per terram et verso pulvis inscribitur hasta.

Paginâ illius libri decimaoctavâ, manuducit Pontificem Doctissimus *Eliensis*, per lineas plus minus decem, & *difficultates* totidem, ad istam quam tanto hodiè supercilio tenere satagit, *Cathedram*. Hic *Rhodus, hic saltus*; In his comprehenditur synopsis totius controversiæ. Expedies tu modò decem istos nodos, vt de principiis vestrę fidei non hæreat dubitatio: tũ & certè nõ amplius *stridens sartago, græcas frigens nuces*, à nobis audies; sed *Geta, bonus Custos defensorq; provinciæ*, qui expectet in *birretiũ* post *aliquas* tandẽ *aristas* à *Scipione* vestro *Borghesio*, (quẽ dicunt huiusmodi auctionari) eò moderatiori pretio. Nam de *Plauto* & *Aula* quę attexis, excreant nostri, cũ totiês relegãt. Quia affirmasset *Casaubonus veteris vestigia lectionis*,

Vid Novum Hominẽ p. 34

Pag. 115.

ctionis, beneficio *felicis memoriæ in scriptis* Episcopi *apparere*; tu argutè insers, *ergo repleta sunt ossa eius vitiis adolescentiæ eius*; & *ingenium habet ad fabulas magis quàm ad res theologicas accommodatum*. Eccè pactos nobis, superius, *R. P. Eudæmonis sales & facetias*! Quàm lepidum nactus est Pontifex suprematus patronum; At impletum est tuum cerebrum anilibus, vt videtur, deliriis, qui probri loco ponis tam excellẽs Dei donum, *felicem memoriam*. *De Aula* autem, aut avaritia, audétne hiscere istius meretricis leno, quæ antiquam adulteravit fidem, præcipuè ad adhamandas pecunias? Sed non libet vestrã *Plutolatriam*, pluribus hic exagitare, legas *Espencæi* vestri de *αἰσχροκερδίᾳ digressionem*, *ibiq; cum taxam Cameræ Apostolicæ, spuriorum legitimationem, Simoniam Satanicam, indulgentias prodigiosas*, limis tantùm inspexeris oculis; cum *reliquiarum, Purgatorij, suspensionum, Absolutionum & Imaginum* supputaveris reditus: feres tum demùm sententiam, quinam illi sunt, qui *aulæ incubant*, & pro aris & focis demicant, ne pabulum subtrahatur.

Pag. 116.

In Cap. 1. Tit. pag. 63.

7 Calumniæ de *stylo* & *moribus* parallela est illa altera, de *Reverendi Episcopi doctrina*, accusas tu, quòd *non alienus sit à vobis in non paucis*. Indignatur *Casaubonus*. Tu illud præstabis; operæpretium est animadvertere, quo argumento. *Privatus* (inquis) *in Catholicam religionem* (hoc est fermentum papisticum) *propẽdere putabatur*. Propendere putabatur? A qui-

bus quæsoab *Orthodoxis*? vnde constat? A vobis? Quam ob causam? *Factus addis Calvino-papistarum Episcopus, minùs asper magisq; moderatus habitus est, quàm eorum hominum ingenium ferat.* Ergone statim vester erit, qui non vt *Iehu* in *Baalitas preceps* in vos *graditur*? Rectissimè profectò mones. Cautiores erunt nostri (vt speramus) in posterum, quomodo tam ingratis parcant, qui moderatam quandam trãquillitatem, defectionem interpretantur. *At semilutheranum se exhibuit declamatorem, ad crucem Sti Pauli.* Ita forsan existimavit, sycophanticum istud *Antichristi* mancipium, qui *ioculari* tuæ Paternitati illud indicavit. Nisi forsan, vt *equa* istæ apud *Plinium*, ita tu nugas huiusmodi vento concipias. Atqui finxisses saltem aliqua suspicionis huius fundamenta, vt vendibilior esset simplicioribus, veritatis specie phalerata calumnia. In respõsione (inquis) ad *Apologiam illustrissimi Bellarmini, de spirituali Pontificis potestate atq; vnitate Ecclesiastici capitis, ferè totus noster est.* Itane verò? in illo libro quo Papam esse *Antichristum* tam multis comprobat, *suprematum in spiritualibus* tam citò concederet? Scrutinio est dignissima talis inconstantia. Ablegas tu nos ad caput 1. § 1. pag. 4. (volebas proculdubiò paginam 14) cum pag. 219. cap. 8. & pag. 217. eodem capite. Vbi *Primatum* (inquis) *Petro concedit, ad tollendum schisma.* Concedit quidem, sed quo sensu? an non tali, quo architecturam vestram Hierar-

2. Reg. 9. 20.

Pag. 217.

Cap 9. 10 11. 12.

rarchicam penitùs evertit? annon *Ordinis, loci & præstantiæ*, solummodò primatum, *cum priscis & nostris hominibus* pag. sequente inculcat, vt *Monarchiam* vestram *visibilem* in cineres redigat? *Dedit Christus Petro claves, sed regni* (vt vrget) *cœlorum*, non *regni huius mundi*, dedit vt iis *contentus esset, terrestria non attrectaret. Quid regni cœlestis clavibus, cum regni terreni foribus?* volebat *vt pastorem ageret*, non *lanium, furem*, aut *lupum, Pasceret*, non *macllaret, colligeret* non *dispergeret*, vt *Primus*, non *primas*, de *reliquis*, nõ præ *reliquis*, idq; *oves Christi*, non *suas*. Vnde ita concludit cum *Augustino, Cùm Petro dicitur, ad omnes dicitur, Pasce oves meas*. Ita cum *Ambrosio, eas oves non solũ beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas accepit, & nos cum illo accipimus omnes*. Quid peculiare hic *Petro* accrescit? Quid *concessit* Doctissimus *Episcopus*, quod omnes nostri non largiuntur? Sed tu pro *Græcanica levitate*, aspicis tãtùm authores, non inspicis, saltitans vt cicada in detonso gramine, nõ sollicitus de rerũ nexu, si verba possis nonnulla ad vertiginẽ tuam torquere. Sic vt *canis* ad *Nilum*, attingis reliqua. Vrget *Bellarminus* è *Chrysostomo, Petrum Ecclesiæ futuræ, pastorem constitui*, Cujus *pastor & Caput* homo *piscator*. Respondet Episcopus pagina 219. *Pastor & Caput irreptitia sunt, latinè addita in gratiã λαϊκὸν. Græcè enim nõ habentur. Græca ἀνθρωπον ἁλιέα habent, hominẽ piscatorẽ. Caput ibi nusquam comparet; & eo loco ne pastor*

Pag. 15. De Agon Christ. c. 30. De sacerdot. dignit. c. 20.

quidem: quanquam Ecclesia pastorem Petrum nemo negauerit, & primarium, sed cum aliis pastorem Coapostolis suis, non solum sine aliis. Quid hic conceditur Petro, quod Coapostolis etiam non competit? vel (vt Episcopi vtar verbis ex eadem pagina) quid hic in Petro, quod non in Iohãne ibidem singulare? Sed Petro ita hic adhæret Polypus, vt de ceteris vndecim sanctæ Ciuitatis fundamentis non inciderit cogitatio. Nec a-
Apoc. 21. 14. liò tendunt, quæ subijcit Episcopus in explicatione Hieronymi. Inter duodecim vnum eligi, aut numerum quemuis, cui vnus aliquis par regendo sit, & possit prospicere; vel schismati tollẽdo, quis vetat constitui Caput cui, & potestas detur, quanta rei satis est, cui constitutus est. Sed quã latè pateat potestas illa, quàm latè numerus, de eo quæritur; ne fiat Heteroclitum Caput hoc: nec tam schismatis tollatur, quàm tyrannidis ponatur occasio. Non ostendit hic quid erat factũ, sed quid potuisset fieri, idque pro circumstantiarum ratione, à principibus & Ecclesiasticis; vt decretum mutabile, non quòd institutum sit aliquid huiusmodi à Christo, vel apostolis, vt sũma fidei Catholicæ. Nec plus elicies ex præcedentibus pag. 217. primatũ non negamus Petri, nec qua primatum sonant nomina, rem ipsã qua prædicamus, est terrestrem eius monarchiã pe-
* In Math. 16. tract. 1. timus. Vnde vt postea explicat Origenẽ ex Origene, primatũ quidem habuit inter alios, vel cũ aliis, non super alios Apostolos, & p. 218. fundamentum erat Ecclesia vnum, sed non vnicum,

μαρτυρία, μακαρισμῷ, *ordine & loco*, vt senior inter æquales, vt promptior inter seniores prælatus, non *Monarchiâ, iurisdictione, authoritate*; vt ille solus esset (sicut graphicè nugatur *Bellarminus*) *pastor ordinarius*, ceteri, *delegati*; eius *successor immediatè* à Christo penderet, *reliqui* ab ipso, *Episcopi*. Quòd si nō plus obtineret Papa in spiritualib', quàm concedit locis à te citatis *ferè* (vt hallucinaris) *totus vester*, verè noster *Episcopus*; conglaciaret citò ipsius olla, nec esset vnde aut doliaria Latinorum abdomina, aut famelicos Græculorum parasitos tam dapsilitèr saginaret. L. 4 de Rom. Pont. c. 24. 25

8 Referenda sūt, quæ hactenus attigimus ad primā versiculi partem κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, sed vt *impleas* tu *mensurā* (vt rectè animaduertit *Casaubonus*) *feritatem* addis, & *malitiam*, vt tibi etiam appareat quadrare, quod sequitur, κακὰ θηρία. Nam *Bartholomæanam* in *Gallia lanienam*, anno 1572. tàm barbarè & immanitèr patratam, *quis fando, Myrmidonum Dolopúmve aut duri miles Vlyssis Tēperet à lacrymis*? Et expectabā hic quidem ego, nota tua subterfugia; casu accidit, non consultò, temeritate plebis, non iussu aut consiliò superiorum, iustum fuisse supplicium, sed non iustè inflictum; nam grauidum est tuum cerebellū huiusmodi partubus. Tu verò ita facinus dilaudas; vt cum *Moysis* supplicio in *moscholatras*, cum *Phineæ in scortatores Zambri* & *Cosbi*, cum *Samuelis* in *Agag*, cum *Eliæ* in *Baalitas*, imò cum *Dei* Pag. 118. 119.

ip-

Pag. 120. ipsius in *Iericunta*, *Hai*, *Macedã*, & *Lachin* cõferes; nec puduit palàm asserere, *quòd nullus extit in tota Gallia Catholicus, qui* illud *non probet*. Hic autẽ nõ opus est, vt ego reponerẽ, *vox sanguinis* respondet è *terra*. Nota est historia, notæ circumstantiæ, non vrgeo. Si sic afficiantur *vestri Catholici*, & tali coalescant cœmẽto Ecclesiæ vestræ parietes, nec alia placeat *purpura* nisi sanguine *opponẽtium* coccinea; *In cõsilium eorum non veniat anima mea, nec in cœtu eorum* sit *gloria* nostræ Ecclesiæ!

Gen. 49.

CAP. 7.

Cap. 7.

De rebus Anglicis.

IAmpij ambulant in circuitu, & repetit hic noſter *Cretenſis* ſuos *labyrinthos* in ſequentibus duobus capitibus. Nam poſtquam corraſiſſet miſer, quæcunq; potuiſſet *folia*, ad ſuam & ſuorum operiendam *nuditatem*: regreditur hic vertiginoſus, vt totam (ſi dijs placeat) epiſtolam viciſſim expendat. Siquidem liber adhuc non erat iuſti voluminis; aſſuit igitur nonnulla ex decãtato ſuo *Parallelo* & *Apologia*, quæ tanti eſſe putat, vt ---*Decies repetita placebunt*. Pſal. 11. 1.

At legit jam (vt opinor) [a] *Increpationem*, [b] *Reſponſionem*, & [c] *Antilogiam*; quibus petulantiæ ſuæ, & mendacitatis fatum relegat. Inſenſate! quis te protuſit implumẽ ad omnium ludibriũ? *Graculum* de rebus *Anglicis*, *Scholaſticum de politicis*, *remotum* & *iuratum Antichriſti mancipium*, ex relatione tantùm trãſfugarum, contra florentiſſimæ Reipublicæ geſta garrientem? Annon vides non electum te eſſe, ſed relictum, qui cauſæ tam depoſitæ patronus accederes; cujus & puduit inter vos ſagaciores, [a] Collin. [b] Burhil. [c] Abbot.

&

& piguit jamdudum *Pontificem*, à quoquam fuisse inchoatam? Nam quid Roma hinc lucretur, nisi vt quò sit detectior, eò fiat detestatior? Tu hic *pontem* ascendis, vt *viator iste* apud *Gulbertum Cognatum*, à quo cùm *solvendus* esset *denarius*, more loci ob distortum vultum, inter luctandum *alopeciam* & *herniam* prodidit; vnde triplex damnum accessit. quanquam autem, vt dixi, nil novi hic attexitur, nisi quod prolatiù antèà accepimus, & penitùs prostratum: carptim tamen quæ supersunt libet tecum percurrere, vt *indici* potiùs, quàm *vindici* tantæ impudentiæ.

Libr. Narrat.

2 P. 121. Cùm nõ immeritò queratur *Casaubonus*, de *rebus Anglicis*, *Anglis nõ potiùs haberi fidem, quàm alienigenis*; opponis tu, cur non *eâdem ratione de Iesuiticis, audirentur Iesuitæ*. Quamvis multum interfit, inter *æquivocantes* quosdam *circulatores*, & gravissimum Monarchiæ Senatum; habeas tamẽ quod vis de Iesuitis nihil nostri asserunt, nisi quod ex dictis, scriptis, & eorum praxi, manifestò evincitur. Pergis. *Græcus illa videre non potuit*, (nempè pulverariæ proditionis molimina) *Allobrox potuit*? Quis dubitat? Venit is vt videret, accuratè omnia pervestigavit, cùm venisset, eo fuit in loco, quo commodè potuit omnia ex fontibus ipsis petere: *Græcus* verò *Neapoli* eventilans *intentionum mysteria*, qui potuit ex famæ tantùm aucupio aliquid certi intelligere? Laudes vt lubet exploratores tuos internuncios; retrimen-

Pag. 122.

ta

nos agnoscimus, vel cujusvis sani corporis; quæ expuit potiùs, quàm expulit nostra respub lica. Quæ autem pagina 123. de *Actorum publicorum fide, & iudiciorum nostrorum infamia*, ridiculè & imperitè ingeris; habes fic à venerando *Abbotto* retusa & profligata, vt in posterum tales coccyssmos (vt opinor) non redintegrabis. Pag. eadem, *venio* (inquis) *ad Casauboni mendacia*; at quando relinques tua? Audiamus. Primum est de *supplicijs*, quæ depingitis hic in *Anglia*, per *canes*, aut *equos*, aut *glyres*, *Martyribus* vestris infligi, vt stupeat seducta plebecula nostram feritatem, ac si *Canibales* potiùs essemus, quàm Christiani. Has cùm horribiles tres homines interficiendi species, in *cerebris tantùm fingentium, & pingentium, impiè & scelestè natas clamet Casaubonus*; *Triplex* (reclamas tu) *est hoc mendacium*. At quomodò triplex? subjicis. *Insutos ferarum pellibus Catholicos, ac delaniatos à canibus, Henrico 8vo Rege vidit Anglia*. Restare igitur potest duplex tantùm *mendacium*: vide obsecro et lector Creticam propensionem, qui tria non numerat mẽdacia, nisi mentiatur in numerando. At obsecro te (mi *Eudæmon*) bonâ fide, atne one sævierunt in vestros, canes nostri hæretici? Vidi aliquoties quẽdã libru, in quo *picturæ* huiusmodi delineantur, sub titulo *Trophæorum*. Cui licet præfigatur *Gregorij 13 privilegium*, retuli tamen semper ad *pias fraudes*, quibus providè vtimini, *ad faciendũ populum*. Videbis enim ibidem

Pag. 123.

Antilog. c. 16.

Pag. 124.

Per Nicholaum Circiniacum & Io. Bap. de Cavalleriis edit. Rom. 1584.

Pict.11. Pict.22. Pict.19. ex sanguine & cerebro Tho. Becket erupit fons, qui semel in in lac, quater in cruorem versus est, pict.25.

dem *Decumanũ abscissum* caput gestantem, *Regnonem, Winifredæ* caput à *Cradoco* amputatum, trunco sic agglutinantem, vt *quindecim annis supervixerit*. Sed lepidiùs caput *Edmundi*, *hic sum, hic sum*, quærentibus exclamavit. Sequitur *Georgius Cappadox, Cauponarũ, & popinarum Insigne*. Quæ excuset forsan *Allegoria*, quia non tam solidè tinniunt ad literam. At de *Catholicis, pellibus ferarum insutis, Author est Parsonius contra Hardingum*. Vidit hoc igitur *Anglia*, quia personuit hoc *Parsonius*! *Simules labra lactucas*. Idem *Philopater Parsonius*, cùm sub ovis pelle lupus, in *Baliolensi Collegio* apud nos *Oxonienses* delituit; capitis accersivisset duos ejusdē Collegij Generosos, qui farcimina nonnulla illi surripuissent, nisi maturè tam inaudito furori ab illorum amicis obviàm fuisset ítum. Retulit hoc mihi (vt alias eiusdem *Nebulonis* nequitias) vir Natalium splendore Illustrissimus, *Baronettus Seymour*, ex illis Generosis vnus; qui nunc quieſcit in Domino. Iã si inclusos in istis farciminibus finxisset *Parsonius* Catholicos, & pinxisset pictor, atq; adolescentulos hanc ob causã tam capitaliter exagitasset, ne isti (vt illi canes) Catholicos delaniarent; æquè profectò verisimilis, sed lepidior fuisset narratio. Ista autem quę subnectis de abdomine *cuiusdam presbyteri*, à *Gallis* in *præsepe* pag.124. *converso*, & de *Hornanis* quibusdã papicolis à *glyribus in Hollandia absumptis*; eiusdem videntur fedeliæ. Interim *Anglia* nostra liberatur,

turz satisfaciant pro se *Galli*, & *Belgæ*. Gratulãdum est autem *Hispaniæ* & *Italiæ* Protestantibus, qui vestrorum experiuntur *Inquisitorum* æquiorem clementiam.

3 Pag. 125. *Leges* istas ſseveriores in *Pa-* Pag. 125.
picolas vestros *latas, post Bullam Pij* 5. & *Iesuitarum occasione*; item, neminẽm *religionis*, sed *proditionis*, aut *coniurationis* causã, supplicio fuisse affectum, tam expressè ostendit, venerãdus *Abbottus*, vt si rationem vnà cum conscientia non amiseris, non audiemus in posterum, istam totiès decantatam cantilenam. Quòd si *religio* vestra sit legibus nostris capitalis, quæ fit, vt tot apud nos *Recusantes*, ad supplicium non pertrahantur? Cur mitiores nos essemus in vestros, quàm vestra in nostros *Inquisitio*? Præterea cur *Laicis* plus est indultũ, quàm *Iesuitis vestris*, nisi quòd vestri isti *superseminent Zizania*, quæ reipublicæ sunt etiam pestifera. *Romanensis* ergo quis potest esse, quoad *dogmata nõnulla*, & superstitiones, quib⁹ anima propria periclitatur; at *Iesuitismũ* nemo imbibat, qui nõ statim evadit proditor, & perduelis. Sed *Cuthbertus* (inquis) *Maynius affectus erat supplicio*, Pag. 126. Anno 1577. 127.
quòd exemplum apud se Bullæ põtificiæ habuisset, quã nihil aliud prater Iubilei indulgentiam cõtinebatur. imò potiùs, quod *de Bulla ista postulatus, pontificiam tyrannidem maiestati præstitisset regiæ* vt aperte docet D. *Abbottus*. Verùm *non causa pro causa* videtur esse figura *argumẽtationis Iesuiticæ*. De *Harto* & *Bosgravio* quæ Antilog. c. 6. Antilog. c. 6. pag 86. ex Stoo contra Pollinem. 128.

sc-

sequũtur, tã sunt in lucẽ posita, vt frustrà tu hic sepiæ instar atramentũ effundas. At *Hartus* (inquis) *Sacerdos erat*, non *Iesuita*, ergò mentitus est eo nomine *Casaubonus*. En piaculũ! en scelus! *Iesuitã* pro *sacerdote substituit*, ac si è Diametro opponerẽtur horum professio & religio. De re nec interest, nec litigo, lapsus hic tãtum deprehenditur, nõ mendaciũ. Subscripsit *Hartus* regiæ potestati in temporalibus, nó vult Iesuita; quid hinc sequitur? nisi è duobus malis in republica, Iesuitam sacerdote esse longè pestilentiorem. Nam cùm *Bosgravium* eodẽ modo subscripsisse contendat *Casaubonus*, fingis tu nescio quid incertum de ipsius palinodia, ne
Pag. 130. vnus è *schola Ignatiana* animam suam vel ex parte, à proditionis liberaret porrigine. Nec mirum est hoc in ista *Antichristi face*, vbi si quis *duo testamenta, tria symbola, 4. prima Concilia* syncerè amplectatur, reiectis Italicis assumentis, præcipuè verò Idolo *de Papa omnipotentia, nõ magis erit Catholicus, quàm homo possit dici Hippocentaurus*.
Pag. 131. *Minotaurus* tu potiùs dixisses, quod aptius fuisset Cretico labyrintho. Cur agitur *Canisii & Bellarmini* Catachismi, apud vos non contrahuntur? nam *posito hoc lapide angulari in Sion*, Pontificis scilicet *potestate* in *spiritualibus, & temporalibus*; omittantur reliqui articuli, vt ad Catholicam religionem prorsus supervacanei.

Pag. 131. De *Matthæo Parisiensi* incidit liticula; hunc authorem adducit *Casaubonus*, va-

ti-

ticinij cuiusdam Roberti Lincolnienſis, de Antichriſti *Romani ruina, & liberatione Eccleſiæ in ore gladij cruentandi.* Sed hic tu *Matthæum* hunc *Pariſienſem à Matthæo* noſtro *Parkero* interpolatum eſſe aſſeris, teſtis eſt tibi *Harperfeldius, ad annum* 1146, *qui in cauſa depoſitionis D. Gulielmi Epiſcopi Eboracenſis*, citat aliquid *ex hoc hiſtorico*, quod in editione *Parkeriana anni* 1571. *non habetur.* Ratiocinatio ſic erit, *Non invenitur illud, quod citat Harperfeldius in Pariſienſi Parkeri.* Ergò *predit liber, non vt eſt, ſed vt Parkerus volvit.* Ita ſemper recurris ad *logicas* tuas *ſubtilitates.* Quid hic reſpondebit *Caſaubonus?* Confugiet proculdubio ad ſimplicitatem iſtius temporis, quo non invaluiſſent vt hodiè, accurati *Indices expurgatorij*, vel diceret ſe non videre, cur citiùs laberetur *Archiepiſcopus in Editione*, quàm *Harperfeldius* in *citatione.* Hic degreditur tua charitas ad *clariſſimi Henrici* noſtri *eſſavi* cineres pro more veſtro exagitandos. Hunc excitatum reſtè affirmat *Caſaubonus* ad regionem hanc liberiorem ab Ægyptiaca Pontificum ſervitute, quâ vt olim ſub Arrianiſmo totus pœnè mundus ingemuit. *At templa* (inquis) *ad decem millia vnius anni ſpatio diruit.* Vt Arithmeticam tuam non excutiam, *Lateranenſia* certè & hujuſmodi *latronum ſpelunca*, deeſſe adhuc videntur iſti numero. Jam verò quòd *in ſacrilegij tanti vindictam fraterno conenbitu, torum ipſius inceſtatum fuiſſe memoras*; exiſtimaſſem te loquutum

Edit. Lond. pag. 1571.

Pag. 132.

133.

134.

de *Catharina*, fratris ipsius *Arthuri* vidua, nisi *Pontificis* vestri *dispensatio* maculam istam eluisset. Sed non obscurum est, quam petitis ex ipsius vxoribus, vel *glorioſissimæ Elisabethæ causa*. Vtcunque autem ista se habeant, cœlebem, de cõiugii arcanis, tam spurcè declamare, præsertim talium, absentium, mortuorum, idq; ex rumusculis tantùm profugorum, non ex certa aliqua notitia; re, ratione, omnium pœnè cõscientijs reclamantibus; non video ad quam reducas partem *Scholasticæ Theologiæ*, quæ tua præcipuè videtur professio. Adde quòd nonnihil tibi decedit de patria laude: finxisset enim *Cretensis* aliquid novi de proprio, nec *Sanderi* aut *Parsonii* fel & pus, tam rancidè suis lectoribus pergeret inhalare.

5 Succedunt *Iacobi Regis nostri serenissimi Halcyoneæ*. Hic autẽ cùm paucissima in trãscursu vellices; quæ non in *parallelo tuo*, aut *Apologia* fusiùs eventilantur; expeditior restat mihi, ad sequentia progressus. Vbi in limine nõ possum non admirari acumen tuum, ad *scholasticas profunditates* aculeatum. Quærit *Casaubonus*, quid sit *Rex noster Bellarmino*, quem negat *esse Christianum, quia non est Romanocatholicus*? Obstupescũt hic plurimi è tuis, nec hoc pronunciatum ex *petasõ* autumãt: nõrunt enim regem fuisse baptizatum, scripturas non reijcere, Ecclesiæ formam obseruare, sacris interesse, & se subijcere, Hæreticis apertis, authoritate & stylo resistere, *Italicis* tantùm quibus.

busidam *additamentis*, animosiùs se opponere. Hæsitant igitur quid proferant, quo sive lapsum adeò temerarium, sive *catachresin* tam incommodam, *Cardinalis*, excusent. At tu, *respondeo* (inquis) *facilè, & sine ambagibus. Calvinianus est.* Admonui, semper à principio, quâ periculosum nactus sit *Casaubonus* adversarium. Quid enim non conficiet talis logicus? Quem non feriret sic concludens in *Ferio? Calvinianus non est Christianus*; *Rex Iacobus est Calvinianus*, ergo *non est Christianus*. At sunt nonnulli inter obtusiores nostros *Anglos*, qui dubitant hìc de *maiori propositione*. Quærunt siquidem, an *Calvinianus* rectè dicatur, qui cõsentit cum *Calvino*, in aliquibus, vel omnibus; si primum, *Cardinalis* erit etiam *Calvinianus*, qui de *Trinitate*, *de persona Christi*, & in alijs plurimis *articulis Calvinum non prorsus abijceret*: sin secundum obtineat, fortassè de *disciplina Ecclesiastica*, alios alitèr statuentes, inter *Reformatos* etiam inveniet. Mihi verò in præsenti negotio quot atomi obversantur? Dic enim seriò (mi *Andrea*) nunquid necesse est, vt is qui cum aliquo in doctrina consentiat, à nomine ipsius denominationem statim assumeret? Quot tu igitur titulis tuis (aliàs satis extẽsis) appendices ascisceres? *Andreas Eudæmon-Iohannes, Cydonius, Papanus, Hildebrandeanus, Ignatianoloiolitanus, Baronianus, Bellarminianus*, & si hoc modo pergerem, vereor ne ad chartæ calcem, vix reliquus sit locus *Chri-*

stimo. Sin non aliud doceat *Calvinus*, quam quod de *Christo* & apostolis *acceperit* & ab *incorruptis antiquitatis fontibus* satis dilucidè demonstraverit; cur *Denominatio* imponeretur potiùs à *consensu*, quam à fonte flueret? Dicunt nostri *tardiores*, se *Christianos* esse, cum *Calvino*, non à *Calvino Calvinianos*, qui *Calvinum* venerantur, quia docet *Christum*, non *Christū* relinquunt vt audiant *Calvinum*. Quanquam non dubitamus, *Calvinianum* esse *Christianū*; è duobus tamen propositis, veteri appellationi adhæresc imus, cùm novam istam in eadem gloriantem invenimus. Vestri autem *Benedictini*, *Carthusiani*, *Franciscani*, *Iacobini*, & qui his antistant, *sicut inter ignes luna minores*, *Ignatiani*; Christianos possint exuere, vt Iesuitæ audiant, quia alias invenerunt scalas, per quas cœlum ascendant; nostris interim via trita, videtur tutior, & porta angusta, augustior, vbi pressa *Christi* prophetarum & apostolorum intueantur vestigia. Vnde difficillima tibi secundò incumbit, minorem præstandi provintia. Negabit etenim *Rex serenissimus*, se baptizatum fuisse in *Calvini* nomine, & proindè non magis esse *Calvinianū*, quia cum *Calvino* consentit, quàm *Viretianus* aut *Farellianus* erat *Calvinus*, quibuscum in verbi prædicatione arctissima fuit ipsius conjunctio. Transeamus.

pg. 135. *Prædicatur Regis in vestros non modò clementia, sed etiam beneficentia: cùm primùm rex appellatus erat, meritissimè à Casaubono.* Gratitudinē tu-

tuam attendamus. Sic *Caligula* (inquis) & *Nero*, ita etiam *Iulianus apostata, nõ immunitatem suam & vaſaniam initio prodiderunt.* Proſpiceret igitur (te monente) *Rex clementiſſimus in poſterum*, ne nimium in veſtris concionandis, naturæ ſuæ indulgens, pergeret portentis talibus à vobis haberi ſimilis. At *Mulctam pecuniariam*, quam *remiſſam* prædicat, cum *Elienſi Caſaubonus; Barlous fatetur* poſteà *fuiſſe exactam.* Vbi igitur hæc *regis beneficentia*? *Ceſſet gratiarũ accurſus, ſi non fuerit recurſus*, vt ſcitè *Barnardus.* Inſpectus Epiſcopi locus meditati te arguit mendacij. Annon *Theologi* iſtius *tui Catholici, ad verbum omnia eſſe falſa*, in iſta narratione aſſerit Epiſcopus? Strictim vt iſta perſequar. *Mulctas* narrat *duplices.* Has tẽpore Reginæ Elizabethæ, *corona debitas*, quas licèt penitùs *rex* non *remiſerit*, facili tamen pretio redimendas propoſuit. Alias verò *ſuo tempore accreſcentes* tam moderatè exigit; vt condonatis *præcipuis nobilibus*, quos *obſequentes* invenerit, & à *conſpiratione omni immunes*, in primo ingreſſu ſuſpectioribus, tantùm non induſſit, erumpentibus præſertim *VVatſoni, Clarki* & aliorum molitionibus, quibus irritata vlteriùs, hebeſcere non debuit authoritas. Iſta habet *Epiſcopus* in numero citato, quæ tuã proterunt calumniam. Sed nulla interim (Ieſuitis eſtimantibus) hic apparet Regis clementia nulla beneficentia indulgentiſſimis tuis *Apoſtatis*, qui *proteſtates* in veſtris oris, longè pro-

Pag. 136.

Pag. 132. § 160

Pag. 132. Ex orat. Comit. Northampt. ad Garnet.

culdubiò mitiùs soletis tractare.

6 Reliqua quæ delatantur per multas deinceps paginas, de *Quodlibeticis vestris rixis*,
Pag. 139. De *accusato à quodam Anglo Parsonio*,
140. De
141. *Molitionibus vestrorum irritis ad exoptatissimum regem nostrum excludendum*,
142. An *Watsonius & Clarkus coniurationem suam* Iesuitis cõmunicantes,
143. responsum acceperunt, *se parilem*
144. *telam exorsos, non potuisse sese illis adiungere*,
145. De *Inceptis Catesbei*, de *Iesuitis* ad minimũ *quatuor cõspiratoribus*, De *Garneti sobrietate, continentia*, & *innocentia* de opinione, an *liceat insontes cum sontibus perdere, quoviq; possis equivocare*; aut *Paralleli tui sunt*, & *Apologia, scholastica Theoremata*, de quibus iam satis constat, quàm sunt *demonstrabilia*, aut non tanti sunt, vt lectorem morentur, aut insequente capite, tua methodo, speciosè rursùs inculcantur. Nam *quodlibeticos* istos tumultus, adeò serios fuisse est exploratum; vt licèt vtrinq; jam taceant *superiorum iussu*; mussitant tamen quãtùm audent oppressi *Sacerdotes*, nec in æternũ ferent Iesuitarum superbiam. E quibus cùm *dolorum fabricatori Parsonio*, diem aliquẽ dixisse memorat *Casaubonus*, vt rationẽ redderet iste *spurius*, de tot in patriam intentatis proditionibus; Respõdes tu, quòd *accusator* iste homo *erat levis. Non semel in hæresin lapsus, commentitiorum inventor dogmatum, fide nullâ dignus.* Tot contrahit statim maculas, qui vel hiscere tantùm audet in vestras machinationes;

quas

quas *homines* tantùm *graves, privilegiati* ab omni hæresi, pestes dogmatizantium, postes fidei, tam masculè & fœmininè defendunt. Mirum interim est, quæ te rapuerit vertigo, vt sopitam de *Baldwino* iustitiam, crocitationis tuę garritu, quantum in te est excitares. Curastis (ais) *eum*, vt *manifesti parricidij convictum, exigendum è Belgio, atq; in Germania comprehensu, Londinum ad iudicium* deportastis. *Non defuerunt Coko*, si vnquam venisset in *Angliam*, ad *eum convincendum tabulæ*, nec *Tortura, testes. Venit ille*; quid tum postea? *Iudicibus vobis, nil dignum morte actum est ei.* En fidem *in conficiendis tabulis publicis*! At *Baldwinus* forsan tuus, aut cœcos optaret lectores, aut mutos tales advocatos. Expecta paulisper (mi homo) dum aulæum contrahatur. Fieri potest, vt hic Martyrij etiam avidus, per *Garneti* egrediatur portam, vt ex altera *spica miraculosa*, messis vobis exvberet.

7 Atq; hìc caput hoc clausissem, nisi *S.* tui *Thomæ* interveniset mentio, quem à *Casaubono, pag.* 151. *depravatum* esse clamitas. Quid dicam? Non omnibus datur Scholasticorum opertaneis interesse. Opus est hìc ingenio tam *speculativè* & *speculativo* ad intelligendum, quã anteà erat ad exequendum *practicè practico*. Sed in re ponamus vestigium. Proponit *Thomas* 2.2æ. q. 12. ar. 2. Vtrum *princeps propter apostasiam* à fide, *amittat dominium in subditos; ita quod ei obedire non teneantur.* Conclusio re-

sponsiva est. *Quùm quis per sententiam denunciatur propter apostasiam excommunicatus; ipso facto eius subditi, à dominio, & iuramento fidelitatis eius, liberati sunt.* Obtestor lectorẽ, vt perpenderet sedulò, quomodo hanc sententiam *depravavit Casaubonus.* Verba eius subjiciam pag. 155. vbi de *fidis serenissimi nostri Regis* loquens *Consiliarijs, Nòrunt* (inquit) *Zelotas hodiernos, sine vlla dubitatione. Thomæ assentiri, qui disertè pronuntiat, ipso facto excommunicatis subditos, esse absolutos à Dominio eius, & iuramento fidelitatis.* Conferas hæc cum superiori *Thomæ* pronuntiato, annon eadem sententia, eisdem pœnè verbis comprehenditur? *Imò* (inquis) *duplex hic est Casauboni mendacium.* Pag. 151. *Primùm enim S. Thomas, non de excommunicato quacunq; de causa loquitur, sed de excommunicato propter apostasiam à fide. Deinde, non ante docet excommunicatum propter apostasiam, mere dominii cadere; quàm per sententiam denuntietur excommunicatus.* Expectabam te reverà in *Thomæ*, & *Summistarum* corte, velut *gallum* alterum *gallinaceum, vertentem proprium stercorarium*, vel vt *Logici tui* loquuntur, juxta *modum inessendi Regis in regno.* Sed excerebrãt (vt video) *practica*, vel illuminatissima ingenia. *Casaubonum* enim hìc tam imperitè adoriris, ac si non percepisses planè quid scripserit, aut excidisset penitùs, quid *Magistri nostri statuerunt.* Revoca enim vel ad punctum temporis *speculationes* tuas *angelicas.* Nunquid is qui in-

de-

definitè asserit, *excommunicati subditos absolui à dominio, & iuramento fidelitatis*, illius *depravat sententiam*, qui subditos statuit absolvi *à dominio & iuramento fidelitatis principis talis, qui excommunicatur propter apostasiam?* Putaveram ego *indefinitam propositionem*, restrictionem non tollere, sed includere, vt si *excommunicatus* non retineat imperium, ergo nec *excommunicatus propter apostasiam*, cùm à *genere ad speciem negativè procedat, vt opinor, argumẽtum*. Ceterùm vt proditionis, sic logices etiam *tela, Iesuitis* est *peculiaris*. At plurimæ (dices) sunt excommunicationes, *maiores, minores*, ob *apostasiam*, ob *leviora peccata*, jam verò apostasiæ pœnam delictis quibuslibet levioribus adaptare, an non esset excommunicationem *maiorem* in *minorem* convertere? et *Thomæ* mentem penitùs pervertere? Hucvsq; si rem deducas, *lavabis tamen Æthiopem*. Obstruet enim hic tibi os *Valentianus tuus*, qui articulũ hunc *Thomæ* fusè explicans, *Observandum est* (inquit) *pœnam hanc privationis authoritatis in subditos, iuxta tenorem tertiæ & quartæ nostræ assertionis, incurri per excommunicationem: non solùm ob hæresin, & apostasiam à fide, sed etiam ob quamcunq; aliam causam, vt patet ex dictis Canonibus, Nos sanctorum, & Iuratos*. Iã inspicias tu Canonem *Nos Sanctorum* 15.q.6. annõ generatim ibi præcipitur *authoritate apostolica*, vt fidelitas nulla excommunicatis præstetur? Nunquid vestigium illic apparet *limitationis*

Vid. Alienstaig. ver. excommunicatio.

2.1. Disp. 1. q. 12. pancto.

tuæ

tua Thomistica, vt absolutio ista fidelitatis, *excommunicationis propter apostasiā esset solùm pœna?* non apostatasset, vt videtur, ille *Hugo Comes*, in sequente *Canone*. Non vult tamen *Urbanus* 2. vt *iurati ipsius milites* excommunicatum ferrent suppetias. Et ne longius abeam, quid patrasset *Francorum ille Rex Canone precedente* quem deposuit *Zacharias*. *Apostasia* profectò non objicitur, consulas textum. *Non tam pro suis iniquitatibus, quàm pro eo quod tanta potestati erat inutilis, à regno deposuit.* At quomodo inutilis? explicat *Glossa non intelligas, inutilis, id est insufficiens, tunc enim debuisset ei dari coadiutus erat cum mulieribus, & effœminatus.* Quòd si hæc sit apostasia, nescio an aliqui Pontifices, nonnunquam apostataverint. Cōsuluisses igitur (mi *Andrea*) hunc *Valentissimum* scholasticorum primipilum, priusquam de *Thoma* sententia tam temerè pronunciasses. Subolfecisses tum forsan aliquid in limine. *Quæstio hec* (inquit) *vt rectè notavit Bannes, non solùm movetur de peccato apostasiæ perfectæ, quo scilicèt quis recedat prorsus à tota fide, sed etiā de peccato cuiuscunq; apostasiæ, & defectionis à fide, sive totalis, sive partialis; qualis est hæresis, quæ idcircò nominari etiam solet quædam apostasia.* Expressiùs *Caietanus: Potest ecclesia non solùm propter hoc*, nempè apostasiā, vt tu restringis *Thomam, sed propter alia crimina, vt etiam in litera dicitur, eandem pœnam* (scilicet depositio-

C. 15. q 6. Can iuratos.

Can. Alius.

Ibid ver. inutilis.

N.B. hoc. glossatio non videtur iniquitas;

Greg de Val. vbi supra.

sitionem) *imponere*. Cur autem *Thomas apostasiæ* tantùm meminit, rationem attexit *Caietanus*. *Æquitas postulat, & demeritum vendicat apostasiæ*, vt *violanti fidem deo, abstrahatur fides aliorum*. Et quod graviùs te adhuc premit. *Ideò* (addit) *hoc specialiter de apostasia decisum est, non tamen dictum est, quòd pro sola apostasia, pœna hæc incurratur; nec locus ab authoritate negativè validus est*. Vin' Conclusionem? *Ideò ex parte sententiæ ecclesiæ, nihil est speciale in apostasia, quod non est in excõmunicatione propter alia crimina*. Tœdet ex *Bannesio* (quẽ magnifacit tuus Valentianus,) & alijs, eadem repetere. Sed tibi epistolis partim ab Anglia, partim à *Gallia* lectitandis occupato; non vacavit *Thomam* penitrantiùs inspicere, aut interpretes consulere. In Thom. ib.

8 Sequitur secundum in *Angelicum* depravando *Doctorem*, *Casauboni mendacium*. *Non ante docet* (inquis) *Thomas, excommunicatiõ propter apostasiã, iure Dominij cadere, quàm per sententiã denuncietur excõmunicatus*. Nec dixerit *Casaubonus, Thomam hoc docere*; redeat igitur *mendacium* ad suum genitorem. Et sic actum est de *Thoma*. Quanquam *fraudem hoc continere asserit Casaubonus, in excommunicato Rege. Expressam sententiam necessariam esse, vt nocere illi quisquam iure queat. Quia hoc eò pertinet, vt horribilis doctrina vestra, invidia minuatur, & serenissimi Regis fidi consiliarij, reddantur omissiones*. Vnde duo manifestè includit. Pag. 152.

dit. Alterum vestros asserere, requiri *excõmunicationis sententiam*, vt quis *iure Dominij* ex-deret: alterum, hoc fine tantùm asserere, non quòd pensi habent, vtrum ante vel post prolatam sententiam, princeps adversarius amoveatur, sed ad dogmatis torvitatẽ, isto minio cerussandam. Et latebras has tandem invenerit *scholasticum* tuũ ingenium, vt qui dicit indefinitè, sed fraudulentèr vos asserere. *sententiã esse necessariam*, vt *excommunicatus luat*, depravabit classicum tuum *Thomam*, quem ponit tamen tua scholastietas, idem asserere? Sed hic etiam, vt anteà, *scholasticum* nostrum *Græcum*, destituunt *Latini* doctores. *Si crimen hæresis sive apostasiæ, à fide, ita sit notorium, vt nullâ possit tergiversatione celari, etiam ante indicis sententiam, incurritur ex parte, prædictæ pœnæ; nimirùm eatenùs subditi quidem licitè possint negare obsequium domino hæretico, aut apostatæ à fide, non tamen ita, vt etiam teneantur, id ei negare.* Vbi supra. *Ita docent Cajetanus, & Bannes. Hactenùs tuus Gregorius de Valentia.* Vbi *Panormitanum*, & *Felinum*, hac ex parte probat; qui, cùm constet de crimine, non ferunt moram pronunciandæ sententiæ. Concinnus verò est hac ex parte *Bánes*, *sufficit* (inquit) *exhibitiva Papæ voluntas.* Ergo ante *prolatam sententiam*, de *notorio* aliquo *hæretico*, potest populus rebellare si libuerit, non autem tenetur, si placeat esse misericors, vel si *vires* (vt habet *Thomas*) non suppetant. Annon multum suis conterraneis debet prin-

ceps hæreticus ? & prudentèr inſtituuntur
holici à *magiſtris noſtris ſcholaſticis ?* Non
entur, nec debent principibus ſuis nocere,
do non poſſunt nocere, nec oportet *ferro,*
no, pulvere ſulphureo, illos è medio tolle-
quando providè intercipiuntur, vt non
nt tollere. At haud vlteriùs beant, refor-
os principes *Papolatræ ſubditi*; *Angli* (in-
Bannes) *& Saxones*, obſequentes vivunt
hæreticis, *quia communiter non habent fa-* In 2.2.q 12.
cultatem ad bella gerenda contra principes. ar.2.
i, ex tot ambagibus, quæ emergit Con-
io: quàm juſtè *Recuſantes* de *mulcta* &
unariſia de Capiſtro, & legibus, in *Papi-*
ſeverioribus, apud nos conqueruntur?
ùm ô Rex (inquiunt) petimus, vt condo-
i mulctâ liberiùs aliquantò vivamus, e-
s comparemus, arma expediamus, quæ no-
s bonâ fide (tametſi jure poſſumus) in te
vertere, priuſquam vires ſuppetant, quod
ntò fiet celeriùs, liberè hinc inde vagentur
rdotibus perniciosiores *Ieſuitæ*, vt quot
ſelytos faciunt, tot proſilientes in te habe-
quæ *exhibitiuam* Pontificis exequantur *po-*
tatem. Sic ſi nos inſtituat *Doctor Angelicus*,
rudioribus (quæſo) veniam, vt ſubitò, non
ripiamus. *Garvetius* autem quid appor-
ipidius, in ſequente capite teſtat tantùm vt
clamus.

CAP. 8.

Cap. 8.

De Doctrina Garneti.

Pag. 160. VT *potuisses tu hunc locum silentio praeterire*, vtpote in *Apologia* & *Antitono* prolixè à te tractatum : ita potuissem ego ad reverendum *Abbatem*, lectorem remittere vt illic *Marsyam* ab *Apolline* excoriatum, rursùs intueretur. Sed quoniam te delectant tuæ relectiones, notulas quasi nostras accipies ad marginem; nec enim par est, vt tam gravis author, in *profunditatibus* suis *scholasticis*, transiret sine commentario. Tria tantùm sunt, quæ repetere libuerit, de *Insontibus interficiendis*, de *Æquivocatione*, & sigillo *Confessionis*. At de primo cum queratur *Casaubonus*, *Antichristianam esse doctrinam, & planè Satanicam, insontes statuere, vnà cum sontibus, è medio posse tolli; dummodo illud cedat magno alicui bono Catholicis*: respondes tu, *per se hoc quidem mortale non licere, insontem aliquē necare*; *sed per accidens, & præter intentionē, tū demùm licere, cùm magno aliquo eius qui occidit, vel commodo cōpensatur, vel nī fiat, in commodo luitur.* Italoquuntur ij, qui *commodo singula* metiuntur, &

Antil. c. 4.

Pag 161.

in tenebris se abscõdũt generalitatũ, vt ad nefaria sua facinora semper pateat diverticulũ. Sed distinguendũ hic docet Doctissimus *Abbottus*, inter *res publicas, & privatas*, deinde inter *negẽtia voluntaria, & necessaria*, de quibus qui cõfusè aliquid pronuntiat, lucem tenebris miscet, & veritati mendacium. Quis enim nescit, *in Iure publico fas esse posse*, quod nefas *est in privato; & licere plerunq; in necessariis, quod in volũtarijs non licet*? Voluntario si *pragnans fœmina* fœtum interficeret, dum *taurum incitatũ* temerè operiat; aut *Sclopetarius* eo animo *bõbardam* exploderet, vt innocentes *triremes transfigeret*, quis hunc, vel illam homicidij nõ argueret? At dum fœmina fugiendo, infantem invitò perimit, vt propriæ saluti consulat; milites hostes persequendo, vt rempublicam tueantur, amicos quosdã necessariò, eãdẽ clade involvunt: accommodare tam diversa ad *Garneti*, & *proditorum* patrocinium, quos nulla impulit necessitas, omnia jura divina, & humana, à tantã sceleris atrocitate, penitùs absterruerunt; *Scholastici* videtur esse severioris cuiusdam disciplinæ, qui vt *Draco leges*, ita sanguine placita conscriberet, nisi fortè Papicolis talis incumbat necessitas, vt

Antil pag. 61

Flectere eum nequeant superos, Acheronta moverent,

& explosis argumentis, ad *Sulphurea* se conferrent stratagemata. Tu interim (mi *Andrea*) vix inspexisse videris, quos in *Apologia* tua turma-

Apolog. pro Garnet pag 105.

matim ad partes tuas, advocatti *scholasticos*; nec enim ij tam præcipitanter asserunt, *licere per accidens, & præter intentionem agentis*, innocentes occidere, sine limitatione vlteriori. Quinimò necessitatis casum, quem nos exigimus, expressè requirunt. aut necessariò suppo-

Relect. Tom. 1. de Iur. Belli num. 37.

nunt, vel includunt. Verba sunt *Francisci à Victoria, Nunquam videtur licitum interficere innocentes, etiam per accidens, & præter intentionem; nisi quando bellum iustum expediri, & geri aliter non potest.* Confirmat ex *Mat.* 13. *Sinite zizania crescere vsque ad messem, ne forte eradicetur triticum.* Vnde postea, *non vult hostium pueros interfici, ne in posterum noceant, quia non*

Ibid. 38.

sunt (inquit) *facienda mala, vt vitentur maiora mala.* Nec dissentiunt *Sylvester, Bannes, Petrus de Aragone, Michael Salon, Navarrus, Cordub, Soto, Sayrus, Molina, Covarruvias, & Greg. de Valentia*, si sentiant, vt videtur loqui. Notũ est illud *Aristotelis* de *monstris*, quæ nascuntur præter intentionem agentis, in *physicis*; & de *actionibus mistis*, in *Ethicis*; in quibus, non tã *agens* agit, quàm agitur. Vnde ex ignoratione causarum, vel casui aut fortunæ effectus attribuitur, aut in peccatis, saltèm non numeratur. Quia *peccatum* (si sit actuale,) *debet esse voluntarium*, vt cum *Aristotele* docet *D. Augustinus.* At cum frequentèr vsui veniat, vt periclitanti reipublicæ, ita succurrendum sit necessariò, vt manifestum indè periculum privatis qui busdã obveniat; hìc quomodo se gerat Christianus?

ſtianus? Num faciat *malum*, vt *bonum* inde eveniat? nequaquam. Sed è duobus malis, minimum admittit, ſervat quantum poteſt rempublicam, dolet quòd hoc cõjunctum ſit cum innocentis diſcrimine. At interim annon innocentem tollit? Tollit reverà, ſed non vt propriè, agens, neq; enim illud voluit, non tentavit, quantum poteſt abhorret à tali immanitate; ſed vt inſtrumentum quoddam involuntarium, quod medium potiùs dicatur quã cauſa. Factum verò *connexum* ſit veriùs actionis quàm *effectum*. Nec duriùs aliquid ſtatuere audent tui ſcholaſtici; quos tu nominas tantùm, non expendis, audias *Auguſtinum*. *Furioſa eſt ſententia; Pereant amici, dùm inimici vnà intercidant.* Sunt quædam (inquit *Ariſtoteles*) *ad quæ fortitan non licet quenquam eſſe compulſum, ſed potiùs oportet ſumma perpeſſum tormenta, mortem obire.* At quę neceſſitas compulit tuos incendiarios, ad ſcelus iſtud *Pulvetarium*? Quæ latebra excuſet à meditata in ſuos Catholicos internecione? Annon hæſitat *Catesbeius*, Determinet *Garnetus*, *fieri poteſt per conſcientiã. fas eſt ad Catholicorum cauſam promovẽdam*? Quid ſtatuiſſet hic in hoſtes, qui ita furit in ſuos? Malebat *Auguſtus*, *Herodis* eſſe *porcus quàm filius*; & ſi iſta obtineat feritas, tutior eſſet à ſuis, canis quàm Catholicus. Sed nos *neſcimus quicquã, nec cogitamus, quia expedit vobis, vt aliqui moriantur pro populo, nec tota gens pereat.*

Cont. anſtũ Manich. l. 21. c. 16.

Lib. 3. Eth. cap. 1.

Act. pag 27.

Macrob. Saturn. l. 2. c. 4.

Ioh. 11.

Pag. 136.

2 At *Casaubonus* (inquis) laudat *Silanianum senatusconsultum quo aquè sontes insontésque serui rapiebantur ad necem:* ergo probat quod in *Garneto* reprehendit, ad *Catesbeium*, Consilium. 'Quo longiùs tecum progredior; eò magis hebescere sentio *scholasticum* tuum *acumen*. Quis enim *Metaphysicis*, & *formalitatibus* assuetus, nó primo ictu aspiceret, hæc toto veluti cœlo discrepare. *Silanianum* decretum erat à Dominis in seruos, ob salutem totius reipublicæ; *Garnetti* placitum, à seruis erat in Dominos, in totius reipublicæ perniciem. Deinde *Romanis* erat tunc temporis potestas vitæ & necis in suos seruos: sed talem hi non vendicant, de quibus agitur in præsenti negotio. Nec omittendum posteà est illud; supponit *Silanianum decretum*, seruos omnes sub tecto heri occisi, eiusdem cõsilij consçios, & proindè non innoxios. At vestra quæstio est de *insontibus occidendis*, vbi talis omninò excluditur excusatio. Vltimò promulgatum erat *Silanianum Senatusconsultum*, in innocentium terrorem, ne cum seruis suis conspirarent, aut conspirantes celarent, sed vt inquirerent in eorum machinas, ne Dominis nocerent. At de insontibus hisce vestris, 'nullus erat metus, nullum periculum ne acerbius aliquid in vos statuerent; quinimò spes erat, vt quantum potuissent commodis vestris prospicerent. Sed cõmodum nescio quod aliud *Garnetus* respicit, de discrimine paucorum vtcunque

que *nobilium*, quia tamen *laicorum*, parùm eſt ſolicitus. Quanquam *Silanianum Senatuſconſultum* eò vſque tantùm probat *Caſaubonus*, quatenùs ex duobus incommodis, ſeruorum ſcilicet periculo, aut dominorum, minimum erat electum, vt maius averteretur. Agnoſcit enim *in facto aliquid iniqui*; fatetur hic implicari, *privatorum paucorum iniuriam*. At poſitio veſtra eſt generalis, ſic vt pro arbitrio inſons tollatur, *modo per accidens illud fiat, & publica* Pag. 164.
vtilitate compenſetur. *Humanæ* ſcilicet vitæ, *& reipublicæ neceſſarium eſt pronunciatum*, vt cũ iurata Antichriſti *mancipia*, internecionem patriæ molientia, vaſtitatis flammas incenderent; obſtaculo non eſſent tot noti, vel ipſorum cõſcientiâ *innocẽtes*. Salva etenim res erit, & iuſta excuſatio *per accidens hoc factum fuiſſe*, & præter agentis ſcopum; juxta illud Phyſicorum placitum, *Natura non intendit, ſed producit mõſtrum*. Maluêre tamen (ni fallor) miſeri veſtri diſcipuli, deſtinati tam prodigioſè ad Martyrium, vivere quamdiù poſſint *per ſe*, quàm in *ſcholaſtico* veſtro *pulvere*, ſic perite *per accidẽs*.

3 Immanitatem in factis, excipit in dictis *æquivocatio*, quam tertiò jam repoſitam in hoc libro, habemus cramben; tranſlatam nihilominùs à 2. cap. præclarę iſtius pro *Garneto* apologiæ, ad quam lectorem ablegas. Mihi ſufficeret reſpõdiſſe, extare cuiuſdam *Antilo-* Cap. 2.
giam, qui *Cacum* iſtum veſtrum

---In tenebris incendia vana vomentem Virg.

Corripit in nodũ complexus, & angit inhærẽs
Illisos oculos.

Scripturas, quas detorques, dilucidè retorsit in tuum jugulum; *Patres*, quos prenseras, advocatos, depulsâ fucorum caligine acerrimè te redarguentes introduxit. Iugulasset hoc anteà *monstrum*, vt perspicacissimi, ita *moderatissimi vir ingenij Mortonus* noster (sicut verissimè habet *Casaubonus*.) Tu *aptiorem illum* asseris ad *asinum* aut *suem iugulandum*. Si intelligas cum *Benedicto* vestro *Balaami asinam*, nempe *Ecclesiã Romanam*, cui *Pontifex* insidet, vt falsus ille propheta; vel *suem*, quæ ad *volutabrum reversa, vineam Domini* depopulatur, haud gravatè quod vis largiamur. *Surgat*, & *occidat*, sicut incepit fortis ille Dei Athleta; modò non *mãducet*, quos occiderit, quod de *Venetis* suasit Papæ, ἀνθρωπόφαγος quidam *Cardinalis*. At *argumentum ipsius* non placet, quo in *satisfactione plenaria*, *Æquivocationem* iugulare satagit. Cur? constat siquidem *non minus sex terminis*, & *festivè* à *Parsonio* in confutatione eliditur. Verùm si vel festiva *Parsonij*, vel *salsa* tua *paternitas*, distinguere didicisset, inter *terminos necessarios*, & *explicatorios*, *syllogismum*, & *prosyllogismum*, *argumentationem simplicem*, & *complicatam*, nec tu, tam insulsè quod nescis, reprehendisses; nec lepidum *Parsonij* capitulũ, tam ridiculum se *sophistis* exposuisset spectaculum. Consulas quæso *Fonsecam* tuum. *Si in argumentatione* (inquit) *aliqua, quæ primo aspe-*

In satisfact. plenar. part. 3. memb. 2.

In concord. Biblior. verbo Asina.

Instit dialect lib. 6. cap. 10.

ctu

ctu vnus ſyllogiſmus videatur, fuerint plures, quàm duæ propoſitiones, aut certe plures quàm tres termini; eiuſmodi argumentatio, non erit reuera vnus ſyllogiſmus, ſed plures complicati; aut diuerſa argumentationum genera permiſta. Annon vides, quam expedita ſit Mortouo vel ex præceptore tuo reſponſio? *ſyllogiſmus* eſt *complicatus*, ſiue ex *diuerſis generibus permiſta argumentatio*, quæ non ſex tantùm, ſed plures admittat terminos. Reſolvenda igitur erat, priùs quàm reijcienda. At Ieſuitæ verſatiores videntur in *regnorum*, quam *ſyllogiſmorũ Analiticis*.

4 Sed quoniam in *dialecticis* ita mirificè tibi places, vt nihil proferatur, nil concludatur, quod captiones tuas effugiat; agè verò, quum exterminata ſit *Æquiuocatio* è *Theologiæ* finibus, ſiſtatur ſi placeat, ad *logicorum* tribunal, forſitan hinc inveniet ſubſidium, vnde primò originem duxiſſe videatur. Et vt à nomine ordiamur. Cum inter *diuiſionem*, *diſtinctionem*, & non *identitatem*, tam accuratè diſtinguant *magiſtri*; vt omnis *diuiſio* ſit *diſtinctio*, omnis *diſtinctio* non *identitas*, ſed non è contrà: quia *non identitas* eſt inter *Socratem* & *Chimæram*, ſed non *diſtinctio*, quæ ſolummodò fundatur in *terminis poſitivis*, *diſtinctio* etiam eſt inter ſpiritualia, vbi nulla eſt *diuiſio*, quia *diuiſio* tantùm *ſequitur materiam*. Cùmq; tã familiaria ſint illis, ſeptem iſta diſtinctionum genera, de quibus tam profunda tradunt *Formaliſta*, *diſtinctio rationis*, *diſtinctio ex natura rei* Tromb. tract formalitat. Anton. Sirect formal. art. 2.

rei, distinctio formalis, distinctio realis, distinctio essentialis, distinctio se totis subiective, & distinctio se totis obiective: Mirum mihi videtur inter *Æquivocationem* & *Amphibologiam*, non observatam esse à te distinctionem. At *ipsum* (inquis) *æquivocationis nomen perspicuè indicat orationis ambiguitatem*. Si perspicuè indicet *orationis ambiguitatem*, quodnam discrimen inter illam & *Amphiboliam* statues? quomodo constabit numerus senarius *fallacium in dictione*? quomodò non erret *Aristoteles*, qui captiones istas seu fallacias, vel ex tuorum Interpretatione tã accuratè discriminat? *Amphibolia* (vt recètè tradunt *Conimbricenses*) *nascitur ex multiplici significatione orationis, sicut prior* (scilicet *fallacia æquivocationis*) *ex significatione simplicis vocis*. Nec aliter *Fonseca*, & alij, *Æquivocatio est in vocabulo, Amphibolia in oratione*, hęc *Etymologiam* illa *syntaxin respicit*. Vt *grammaticus* vix videretur, qui huiusmodi tuo more in re tam implicata promiscuè vsurparet. Quòd si *species* pro *genere* synecdochicῶς esset arripienda, cur non potiùs *Amphibolia* substitueretur pro *æquivocatione*, quàm *æquivocatio* cõprehenderet *amphiboliam*? præsertim cum lis sit, non de vocis vnius *æquivocatione*, sed propositionis *amphibologia*. Verùm hujusmodi Sophistarum minutias, magistri nostri *pro imperio* transiliunt. *Æquivocatio* autem ab illis sic extenditur, vt non *tantùm simplicis vocabuli ambiguitatem*, sed sententiæ complectatur amphi-

Pag. 166.

In Elenchos q 1. art. 3.

Instit. Dial. l. 8. c. 4. & 5.

phibologiam. *Ita enim pius iste in patriam Parsonius, Æquivocatio* (inquit) *est duplex, verbalis & mentalis*: constat de *verbali*; *mentalem* vult esse *huiusmodi, non quæ originem ducit ex* Tract. admitigat. c. 12 § 3 Abbot. Antil. cap. 2.
orationis compositione, sed tantummodò ex reservatione aliqua in mente loquentis, per quã differt intentio eius à sensu illo quem verba enũciata præ se ferunt; quemq; alsq; illa reservatione expressum habent. Tibi verò *Æquivocatio est, cum quis ita loquatur, vt quamvis sententiam eam verbis subijciat, quam significare possint habitâ ratione loci, temporis, ac personarum: tamen non dubitet fore, vt ab auditoribus aliter intelligantur, quæ dicit, eoq; seipsi inducant in fraudem.* Pag. 107.
Hanc eandem esse cum *politica consiliorũ dissimulatione*, quam probat & laudat *Casaubonus*, ostendis postea. Cujus scopũ innuens, *hac* (inquis) *fit, vt cùm tu alia ratione verba vsurpes, quàm quâ vsurpari putat is, quicum loqueris; & tu vera dicas; neq; ille intelligat quæ dicuntur.* Pag. 166.
Vbi igitur hic *mentalis reservatio*? Excluditur penitùs per tuam definitionem, cùm *æquivocatio* tua omnia eloquatur, omnia proferat; sic vt ambiguitas tantùm lateat in verborum *significatione*, non conceptus reservatione. Atque hanc æquivocandi formulam, quam aliquo modo licitam, cum [a] *Sepulveda*, [b] *Azorio*, [c] *Sa*, & [d] *Maldonato*, non negaret *Casaubonus*, vbi clamosè satis bis anteà inculcasses, tandem, pag. 170. *mentalis* hujus *reservationis* obscura est mentio. Quam adeò vete-

[a] De Ration. dicẽd testim. [b] Iust. Moral. part. 1. lib 11. cap 4 [c] In Aphoris. [d] Comment. in Luc. vlt. ver. 28.

ratoriè delineas, vt *Parsonianum* superius cõmentum, & mutasse videris, & nõ mutasse, æquiùs loquutum esse, & periculosiùs, imò *æquivocasse*, in descriptione *æquivocationis*: & in mente aliquid sophisticè reservasse, dum cuderes nobis novam *mentalem reservationẽ*.
Pag. 170. Verba tua recognoscas. *Hæc demùm est* (inquis) *mentalis illa reservatio, quam tantis calumnijs exagitant adversarij: cum circumstantia aliqua variare significationem verborum potest, ad quam respiciens is qui loquitur, ad eam orationis suæ significationem accommodat; quã quia aut ignorat, aut ad eam non reflectit animum auditor, longè aliam significationem, verborum eorum esse putat, quàm, quæ reverà est. vbi error est in auditore, non in oratione mendacium. Nam de qua re loquitur, vera dicit: sed quia prodere cogitationes, ac sensus omnes animi sui nullo iure cogitur, qua de re loquatur non indicat.* Hæc est secunda *mentalis Reservationis* editio, quæ *permissu* jam prodit *Superiorũ*, auctior & emendatior; prior ista *non dependet à verborum significatione, aut orationis compositione*, vt habemus à *Parsonio*, exigit hæc posterior,
169. *vt verba quæ adhibentur id significare possint, ad quod significandum adhibentur.* Annon hic pulcher consensus? Si *æquivocatio* tua in verbis expressis lateat, quomodo non est *verbalis*? Sin *verbalis* sit, quare appellatur *mentalis reservatio*? Nisi fortè tibi idem sic tacere & loqui; & æquivocatio *mentalis*, & *verbalis* quas distingunt tui symmystæ, tuâ subtiliori in-

indagine reperiantur coincidere. Sed *circumſtantiæ* (inquies) & *conditiones* nonnullæ occultantur, non verę propoſitionis partes neceſſariæ. Intelligo. Cacodæmona *Eudæmon* corrigit: proponitur textus, ſed in mẽte reſervatur commentarius. Duplex igitur jam tandẽ emerſit *Mentalis reſervatio*, prior ſubſtantiæ, poſterior *circumſtantiæ*, hęc membri, illa *conditionis* alicujus myſticè miſtæ propoſitionis: vbi non peccat interrogatus, quia non omnia profert, ſed errat interrogans, qui non prolata non intelligit. Harioli oportet vt ſint, & *Actio Navio* ſagaciores, qui vobiſcum rem habeant. Subtilia videntur iſta in *Dorbelliſtarũ exhedris*.[a] *Deum trinum & vnum, Cognovit Ariſtoteles ſed Ariſtoteles non cognovit Deum trinum & vnum. Natura non intendit monſtrum, ſed mõſtrum intẽdit natura. Venientem cognoſco, licet non cognoſco venientẽ*, et ſimilia. Tu acutior, in Æquivocantis patrocinio. *Nam de qua re loquitur* (inquis) vera dicit; *ſed, qua de re loquatur non indicat*. Ergóne *circumſtantiæ & conditiones* tuæ ſunt res omnes, nõ de quibus loquimur, ſed de quibus loqui poſſimus? O ſingulare ſeu potiùs ſalutare inventum! quo rectè intellecto non perjurus, aut mendax erit quiſpiam in poſterum, niſi caudex penitùs ſit & ſtipes, cui nõ occurrit *qua de re loquatur*. Nam quid tam impium, aut mendax enuntiari poteſt, quod præſtare aliquis non valeat, ſi liceat ſic attexere, quodcunq; tacitâ mentis cogitatione complectatur?

[a] Nicol. de Orbellis log. brevis Trac. 7. de Appell.

tur? Iurare potest ebrius, se nihil omninò bibisse; dum cogitet de *poctarum nectare*, & hęc esset *defensio poetica*. Iuraret meretrix, se intactam penitùs esse, à *tauro* putet vt *Pasiphae*, vel à *Cygno*, vt *Leda*, & hæc esset *poeticohistorica*. Quid si tu iurares *Garnetum* nunquam fuisse in *Anglia*? annon respicere possis hãc tacitam, ex Dialectica tua, *circumstantiam*, *vt genus in specie*, *vel vt rex in regno*? Sic *Papa* obtinet in reges *suprematum*, *voto*, intelligo, non *iure*. *Eudæmon* nunquam mentitur, forsitan dormiens aut tacens, aut nihil omninò scribens. Occurrunt infinita tergiversandi diverticula, si aperta sic liceat mendacia, ex occultis glossis pro arbitratu resarcire. At non sic imponere possint cordatis *conditiones* tuæ sophisticæ, & mysticæ *circũstãtiæ*. Pũctiùs igitur vt te petã.

5 Convenit inter nos primò, *nullam vnquam ob causam mendacio esse vtendum*. Convenit secundò, *Enuntiationem falsi cum voluntate fallendi manifestum esse mendacium*. Convenit tertiò, *innaturale esse & indebitum*, *cùm aliquis voce significet*, *id quod non habet in mente*. Convenit quartò, figuratas loquutiones, quæ vsurpantur, vel ornatus, vel fastidij evitãdi causã, per *Synecdochen*, *Liptoten*, aut *Aposiopesin*, non tantùm licitas esse, sed frequentèr laudabiles. Nec quintò dissentimus de *limitationibus*, quas sæpiùs in præceptis artium subaudiendas relinquimus. Verbi gratiã, *universalia sunt semper & vbiq;*, intellige, in *suis fin-*

Pag. 169. Augustin lib de mend. cap. 4.

Thom. 2. 2. q. 110. ar. 3.

singularibus. Nec displicet sextò, *Conumbricẽsium* discrimẽ, inter *veram* & *veracem*, *falsam* & *mendacem* propositionem, cùm veritas & falsitas ad *res*, veracitas & mendacium, ad *cõceptus* ordinentur. Convenit vltimò, *aliud esse mentiri, aliud verum occultare*; cũ hoc sit omninò prohibitum, illud multoties necessariũ. Aug. enarrat. in Ptal 5.

In hoc igitur volvitur cardo controversiæ, *Vtrum ferenda sit talis Æquivocatio vel Amphibologia, quâ reservatur in mente limitatio, conditio, vel circumstantia, ad auditorem fallendum; cuius prolatione, vel additione, propositio, vel responsio, qua intelligibili loquendi modo, expresse est falsa, veritatem tacitò obtineat*. Complector hic, tam crassiorem *Parsonij*, quàm limatiorem tuam *æquivocandi* latebram. *Requiris tu, vt verba quibus vtimur, eam sententiam significare possint quam ijs subijcimus, cùm æquivocamus*, quod animadvertit *Parsonius*, ad rationes vestras parùm conducere. Nam cùm oculatiores soleant elicere, quid *subiecta verba possint significare*, annon periculosa esset & inutilis tam ridicula tergiversatio, quæ apud fungos tantùm valeret, qui nesciunt quid ex quo sequatur? Proponit igitur iste veterator falsum, quod posteà sic exponit, vt sicut *mentalis* tua *reseruatio*, interpretabitur obscuram; ita illius quasi mancam supplebit sententiam. Vtrinq; autem cùm recurratur ad *mixtam propositionem*, ex dictis & dicendis, verbis & conceptibus, oratione & speculatione; nó tãtùm Pag. 169.

tùm logicorum placitis, & politicorum decertis, sed ipsius naturę, & rationis dictamini, manifesta vis infertur.

6 Excutias etenim omnes lib. *Interpret.* Interpretes, quis vnquã de tali *propositione mixta*, vel fãdo audiverit? Nam cùm ea sit enuntiationis munus, sive finis (præcipitẽte vestro *Toleto*) vt *manifestativa sit rei & cõceptus*, hoc est, verũ vel falsũ ad extra, necessariò, aut cõtingẽtèr proponat. Illúdne erit propositionis, vel portio, vel particula, quod nec omninò proponitur, nec ex propositis possit vllâ certâ deductione colligi? Adde quòd *æquivocatio* illic latere non potest, vbi *vox* non profertur; nec *Amphibolia*, vbi *sententiã expressam* nõ observes. Evanescit igitur primò in hosce fumos magistralis hęc subtilitas, vt *propositio non proposita*, *Æquivocatio* sine *voce*, *amphibolia* absq; *syntaxi*, an fallendum adhibeatur. Sed à vocibus ad res transeamus. Propositio *secundũ Aristotelem*, *est oratio affirmans, vel negans, aliquid de aliquo*. Iam verò si interogatus *Iesuita*, de professione, apertè responderet, *Ego non sum Iesuita*. Cum *respiciat* interim hanc in mẽte *circumstantiam*, *vt tibi indicarem*, vel similem. Quæro ego an affirmet, vel neget? Si neget, annon apertè mentitur, qui vt fallat, aliter ac res est, pronuntiat? Sin affirmet, ex *reservata in mente conditione*, quid fiet de logicorum regula, qui ex *immediata copulæ negatione* vniversim solent *negare*? *sed Iusuitarũ*

In lib. de Interp. c. 4. q. 2.

Lib. 1. prior Analyt. c. 1.

Vid. Arist. l. 2. de Interp. c. 1 Zab in tabul.

ser-

sermo non *est*, *est est*, & *non non*, sed *est* & *non*: vel potiùs, *non*, pro *est*; nam illud *dei est*, & *Amen* non satis acutum videtur. Pergamus. Si propositio hæc *mixta* non sit spuria, ergo secundum *Fonsecam* tuum, vel *simplex* esset vel *coniuncta*. Si simplex, tum vel *absoluta*, vel *Modalis*; si *Modalis*, vel *explicata*, vel *exponibilis*; si *exponibilis*, vel *exclusiva*, vel *exceptiva*, vel *reduplicativa*; si *coniuncta*, tum vel *conditionalis* erit, vel *copulativa*, aut *disiunctiva*. At inter has omnes classes, vagatur, vt *Anomalon*, tuus hic tragelaphus. Simplex enim & absoluta non potest esse, nisi simpliciter & absolutè agnoscere mendacium: ad modales autem vel coniunctas si confugias, annon vt huiusmodi internoscantur, expressa modorum, aut coniunctionum requiruntur indicia? Quisquámne *exclusivam*, ab *exceptiva*, *exceptivã* à *reduplicativa*, has aut illas, à *copulativis*, *disiunctis*, aut *conditionalibus* commodè distinguat, vbi nullum *exclusionis*, *exceptionis*, *reduplicationis*, ne minimum *Cõiunctionis*, aut *disiunctionis*, appareat vestigium? nec *limitatio* te hic adjuvet, aut *Restrictio*. Hanc enim propositionem, *Non sum Iesuita*, si ex insidijs ita suppleas, *vt tibi indicarem*, non limitas, sed tollis, non restringis sed extinguis, quod anteà propositeras. *Age* verò, *non sum* (inquis) *Iesuita*, audio te apertè negãtem. sed aliquid adjiciẽdum, *vt tibi indicarem*. Resolvatur iã, vt pateat, hec mixta propositio. annon huic equipolleat, *sum reverâ Iesuita, sed non*

Mat. 5. 39.
2. Cor. 1. 18 19
Inst. Dialect. lib. 3. c. 3.
Ibid. cap. 18.
Ibid. c. 14.

non vt tibi indicarem? Ergo Iesuita es, & non Iesuita, *& affirmatur, & negatur idem de eodem*, quod *contradicere* est juxta logices præcepta, non legitimè restringere. Postremò, cum ex propositionibus fiant syllogismi, ex categoricis categorici, hypothetici ex hypotheticis; penès te esset *imperium* omnium à mundo condito logicorum, si syllogismum aliquem legitimum, ex propositionibus istis mixtis nobis hebetioribus misceres. Sed vsus forsan earum non extenditur vltra manifesta mendacia.

Arist. 1 de Interp. cap. 4

7 Atqui *error hic* (inquis) *est in auditore*, nõ fraus in propositione. Homo lepide! num conceptus, aut sonus, erit tibi auditus obiectum? errátne auditor, quia non audit quod non profertur? occultas tu quod errorem corrigeret, relinquitur ipsi tantùm vt audiat mendacium. Quid ergò? *omnésne cogitationes*, & *animi sensus sunt prodendi?* nulla circũstãtia est occultãda? nulla omittenda in capitis periculo, quę interrogãtem fallat, limitatio? Audias *Firmum* illum *Tagastensem Episcopum* apud *Augustinum: nec prodam, nec mentiar.* Et fœminam in equuleo apud *Hieronymum*, *nõ ideò negare volo ne peream, sed ideò mentiri nolo ne peccem.* Quòd si arrideat magis tenebrio, ex Scholasticorum spinetis, distinguit *Martinus Molenfelt*, in *tractatu obligatoriorum*, de duplici *pertinẽte*, quod responsioni alicui possit attexi, *sequente*, scilicet. & *repugnante: pertinentia* (vt ille loquitur) vel vt tu, *circumstantiæ sequentes*, quæ ex dictis aut

De mendacio cap. 13

De muliere septies icta ad Innocent.

Apud Tartaret. post. tract. de insolubil.

aut apertè fluant, aut certò concludantur, cum faſtidio frequentiùs inculcantur. Sed nunquid ſub hoc prætextu, *repugnans* quiddam fovebitur in animo, quod *abſolutè* propoſitum mendaciũ, *modaliter* excuſabit? aut *categoricè* creditum, mutabit & præſtabit *hypothetice*? Quærit Magiſtratus (legitimus aut illegitimus, nihil intereſt, cum ne ſocio quidem, aut inferiori ſit mentiendum) an ſis *Ieſuita*, reſpondes tu, *non ſum*, reſpiciendo interim *circumſtantiam, vt tibi indicarem*: ac ſi coniunctim diceres, ſum reverà *Ieſuita*, ſed non eum in finem, vt tibi indicarem. An non duplex hic adhibetur reſponſum quæſtioni ſimplici? primum mendax, alterum impertinens? quod nemo tam eſt plumbeus quin primo aſpectu intueatur. Quòd ſi fraus lateat in pluribus interrogationibus, vt vna propoſitis; num ferenda eſt duplex reſponſio, non diverſa ſed adverſa, hęc verbalis, illa mentalis, ſimplici quæſtioni accõmodata, vt idem reſpectu eiuſdem, affirmare dicatur & negare, mentiri & verum dicere? Quàm puerilis igitur, & exhibilanda eſt *mentalis* tua *reſervatio*? Non enim quæſiit Iudex, *quem in finem tu es Ieſuita*, ſed an ſis omninò *Ieſuita*. Tu quæſtioni *an ſit* reſpondes plenè. & apertè, ſed mendaciter; quæſtionem finis nemo tibi propoſuit. Supervacanea igitur & inſulſa eſt tacita illa reſponſionis efformatio, niſi fortè quia tu *cõcepiſti* reſponſum, quæſtioni nunquam propoſitæ, quæſtioni propoſitæ reſponſum, per ſe apertè

Ariſt lib. 1. elench. cap. 4. Fonſec. lib. cap.

pertè mẽdax, heterogeneâ, neſcio quâ, miſturâ veritatem obtineat. Quod referendum eſt ad ἀχίλλειον penitioris veſtræ dialecticæ. Interim obtuſiores noſtri ſic ex conceſſis argumentantur,

Pag. 169. *Qui verbis vtitur, quæ eam ſententiam ſignificare non poſſunt, quia ijs ſubijcitur,* (vt habes tu, addo ego) *fallendi cauſâ, mentitur.*

At ſic æquivocando faciunt Ieſuitæ (vt ex dictis conſtat) cum æquivocant; ergo,

Cum æquivocant mentiuntur.

Excipies, non vt *fallas interrogantem*, ſed vt *teipſum liberes*, tam ambiguè te illa proferre. Eſto. Nonnè interim animadvertis hæc adeò inter ſe eſſe implicata, vt hunc finem intendere neutiquam poſſis, ſine impio hujuſmodi medio? Quare vt teipſum vis eſſe ſalvum, ſic vis mentiri, vt illud efficias. Sed non aliter (inquies) me poſſum expedire. *Pellẽ*

Iob. 2 4. *pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua.* Quid fit non quæritur, ſed quid fieri debet vrgeo. Annon ſatius eſſet Chriſtiano millies mori, quàm ſemel mentiri? Annon *Iu-*

Rom. 4. 3 *ſta eorum eſt Damnatio* (authore *Apoſtolo*) qui faciunt mala, vt *bona inde eveniant*. Linguę noxam voluntariâ non expiabit poſtliminio cõceptus Chimęra. Cudẽda igitur eſt à *ſocietatis patribus* nova logica, aut excogitandæ aliæ *diſtractiones, reſtrictiones, ſuppoſitiones, appoſitiones*, ad impoſturas hujuſmodi palliandas: nam iſtæ quas habemus non ſufficiunt regulæ.

8 Quæ ſuperſunt de hoc argumento nugæ in-

indignabitur lector serius, si prolixiùs à me discuterentur. Pagina 168. interspergis pro solito acumine *sales tuos*. Strinxit *Casaubonus* in transcursu *Garnetianam* istam *distinctionem*; *Non licere inter privatos æquivocatione vti, apud magistratum licere*. Tu quia *privatorum* & *magistratuum mentio* in textu expressè nō habetur, sed amicorum tantùm, & illius *à quo rescire res sine malo nostro nō potest*, lepidè infers, authore *Casaubono*, *omnes homines esse aut amicos aut magistratus*. Atqui dum sensus exprimatur (ò bone) non solent *logici realiores*, de verbis altercari: quinā enim æquè sunt *privati* ac *amici*? Vel apud quos habetur defensio tam frequentèr, quam apud *magistratum*? hūc fuisse *Garnets* sensum, ex verbis istius liquet. Non igitur novam hic cudit divisionem *Casaubonus*, vt tua somniat paternitas, sed propositam à *Garneto* obscuriùs, verbis expressit aptioribus. Quod si rem velimus, *Garneti* est ista distributio, *omnes homines sunt vel amici, aut tales apud quos habenda est necessaria defensio*, pro quibus exegeticè *Casaubonus privatos*, & *magistratum* substituit. Deniq; ad gravissimam istam *Casauboni* querelam, de detestanda *eucharistiæ* profanatione; operæ pretium est spectare, quid *Cretensis* reponit. Indignatur *pius senex*, prodigiosas *æquivocandi impostoras*, non jurejurando tantùm, sed ipsius *Eucharistiæ sumptione* confirmari. Consulis tu vt *Calvinianus cum sit*, nec *transsubstantiationē*

Pag. 171. vestram admittat, de Eucharistia *istam* deponat *religionem*; quia *incarnationem* (inquis) *& mortem Christi, multò ad vivum meliùs exprimit pictura, quàm panis*. Agnosco *Gregorij Valentiniani* discipulum, qui aliquem *Idolorum cultum* defendit esse *licitum*. Sed noli pergræcari (mi Græcule) attendit cum *Calvino Casaubonus*, institutum domini, non figmenta pictoris, aut pistoris; & verba sunt opinor *Missalis sursum corda*, non oculos. Picturæ autem quib' tantoperè delectaris, plures proculdubiò apud nos fierent, si vel, (vt *virgo Hallensis*) claudos sanarent, aut cœcos, vel sudores nostrâ causâ emitterent, vel saltèm nos alloquerentur. Sed tam infelicitèr hic allinuntur fenestris nostris aut parietibus, vt dùm oculos habeant non vident, nec auribus (credo) audiunt. Certè *pedibus* nó *ambulant*, vt Dędali ista signa apud *Platonem*, quæ nisi *revincta essent, aufugerent*, vel vt *Vulcani tripodes* (referente *Homero*) qui *subterpositis rotis*, ἀντόματοι ad divinũ accederent certamen, & domum rursus redirent. Sed fieri potest quòd ex schismaticis nostris lignis non prodeant tales *Mercurii*, vel potiùs, quod prudentissimè animadvertit *Pater Iacobus Gretserus, Tam sterilis, & deserta est Lutherana & Calviniana secta, vt diabolus ne dignetur quidẽ* (vt solet apud suos Catholicos) *per eam aliquid fallacium & vmbratilium prodigiorum aggredi; saltem frequenter, & palàm; veritus, opinor, ne omnibus ludibrio exponatur, si prædicantis operâ* (vt

Lib. 2 de Idololat cap 7 § sed neque inficior & l. 3 c 8 § quod autẽ.

Vid. Lipsium.

In Menone.

Iliad 18. Arist l. 1. polit. c 3.

Defens. 2 c. lib. 1 Bell. de verbo Dei p. 30. § Abeamus ab hoc.

(vt per Ieſuitas facit) *vel ſurdum, vel mutum, vel alia ægritudine diſtentum, curare tentet.* Interim panem noſtrum Euchariſticum reverenter vt par eſt habebimus, vtcunq; pictores veſtri de lucro illis emuncto, cum *Demetrio argentario* conquerantur. Act. 19. 24.

9 Farraginem obſignat quiſquiliarum, *confeſſionis ſigillum.* De quo tam moderatè diſſerit *Caſaubonus*, vt æquior forſan quàm par eſt, aliquibus in hac re vobis videatur. Aſſerit enim eam eſſe *rem ſanctam, ad finem ſanctum inſtitutam*, non ab hæreticis, ſed *religionis Catholicæ antiſtitibus*, nec nuper, *ſed ante plura ſecula.* Appellat eam *animarum pharmacum*, oſtendit *Eccleſiam Anglicanam molliſſe tantùm rigidam eam neceſſitatem, quæ apud vos obtinet, rem verò ipſam, neq; ſuſtuliſſe vnquam lege, neq; damnaſſe.* Tantùm *profanationem veſtram* exagitat, quâ velum hoc obtenditis, ad parricidia occultanda. Dùm nefaria *conſultatio* ſive *ad cõfeſſionem ſubtiliſſimæ entitatis relatio*, ſub prætextu confeſſionis ſacratiſſimæ vafrè obtruditur. Etenim periclitatur rex, & reſpublica conſulunt proditores *Ieſuitæ*, de ſcelere diſceptatur, probatur, nulli ſtimuli conſcientiæ, reſipiſcentiæ nulla mentio, pergunt *confeſſarij* cũ *confitentibus*, imminet exitium, Deus intervenit, ſcelus aperit. Et hic quærunt truculentiſſimi alaſtores in confeſſionis (ſi placeat) arcano ſacrum latibulum? Deſtinatur inter necioni patria, conſtat de *Aſſaſſinis*, nullum pœni-

tentiæ propositum, tu occultas, quo prætextu? *sigillum* scilicet *confessionis* non est *reserandum. Præstaret reges omnes perire, quàm si vel semel, confessionis sigillum violaretur,* si audiamus vestrum *Binetum*. Forsitan te legisset, *nullum tantùm posse esse malum, cuius vitandi causa confessionem prodere* liceat. Hujusmodi dum vrget *Casaubonus*, uoleo profectò animadvertere quàm miserè tu occurris. Primò asseris, *Garnetum* de *coniuratione illa pulveraria nihil extra cõfessionem resciisse*, quod quàm pellucidum sit mendacium, vidisti jam tandem (vt opinor) summa cum animi confusione apud clarissimũ *Abbottum*. Deinde peto à te familiariùs (*Eudæmon*) itáne dicunt *Scholastici*, vt *confessionis sigillum, nec regis, nec reipublicæ saluti vllo pacto concederet*? Quid igitur sentiendum est de *Halensi, Bonaventura, Soto*, & numerosa ista phalange, Summistarum & Canonistarum, quos apertè apud eundem Doctorem reclamantes invenias? Putaveram ego confessionistas vestros rigidissimos, inter peccatum *perpetrãdũ*, & *perpetratum* semper distinxisse. Nam vt largiamur de *perpetratis* altissimum silentium, ne incerti de medicorum fide, medelam periclitantes refugerent; de *perpetrandis* interim quis similem probaret indulgentiam? Accedit te nequã *efferatissimus*, dicit sibi esse in animo *Paulum Quintum* occidere, deterres tu, non cedit, pergit, actum esset de *Christi vicario*, nisi sigillum hoc aperiatur: num peribit potiùs põtifex,

Epist. Casaub pag 140.

Apol. Garnet c. 13.

Pag. 172.

In Antil. c. 13

tifex, quàm patebit per te scelus? non audebis sat scio affirmare. At *Garneto* iustior nō relinquitur defensio; imminet patriæ ipsius infandum exitium, ipse conscius est, succurrere potest, non debet. Quid obstat? religio. Iesu Christe! quid novi est hoc discriminis, inter *Iesuitas* & *Christianos*? quæ nova hæc religio, quæ tragulam injecit. quo minùs scelus dum possim avertam? quinimò quæ me implicat necessariò, vt sceleris ejusdem sim reus? An non potuit *Garnetus*, in tanto rerum discrimine, si Christianum, si patriam, si hominem, penitùs non exuisset, celatis personis, rem saltèm indicasse? Ego non capio, qua ratione, hoc vestris placitis contradiceret, si vel scripto, vel alio modo, sic seipsum expedivisset. *Iesuita sum, hæreticos detestor, proditor interim esse nolo, patria si luat pœnas, me conscio tamen, Catholicorum scelere non peribit, constat mihi internecionem à nonnullis illis intentari, latet sub domo Parliamēti, exeutite, & invenietis sub lignieulis occultatum pulverem pyrium.* Saltem si conjuratores compellasset; *Temerarij quid tentatis? non tali auxilio vel defensoribus istis, causa caret, desistite, aut ego rem totam aperiam*; liberasset proculdubiò, animam scelere, patriam periculo, amentissimos istos *Zelotas*, tam infami maculâ. Sed quid ego conscientiæ guttam in talibus requiro, qui *Antichristi* obsequio emancipârunt animas. Tu in sceleris hujus defensione, ita cernuus proruis, vt furere potiùs quā ratio-

cinari videris. Nam quis non lęsi cerebri, tã insignitèr ineptiret? Repetit cõfessionis institutũ, (vtcũq; abvsũ exagitat) à *Christianæ religionis autistitibus*, candidus *Casaubonus*: quæris tu an illud apud *Festum* aut *Nonium* invenerit? Quos expectabas lectores? Num *antistites Christiani religionis*, sunt *Festus* & *Nonius*? Aut nullos alios perlegeris præter *Festum* & *Noniũ*? Sed pollicitus anteà fueras, falem in scriptis tuis, quem omnes hic *infatuatum* sentiant. Ejusdem sunt falsuginis, quæ ad *Confessionem* astruendam è *Calvino* exprimis. hic reverà *potestatem Clavium* & *dignitatẽ Ministerij* loco à te citato meritò evehit. *Confessionem triplicem agnoscit, solennem, totius Ecclesiæ, privatam* duplicem, vel *cùm privatus, qui aliquo notabili delicto comm une offendiculum peperit, pœnitentiam suam testatur*, vel cùm *is qui ob cõscientiæ inquietudinem, ope ministri indiget, suam illi infirmitatem aperit*. At in controversia jam nõ ponitur, an confessio *publica*, vel *privata* sit laudabilis, aut necessaria, sed num auriculare vestrum commentum, nempe modus iste enumerandi sigillatim statutis temporibus singula delicta, ex jure divino ecclesiæ sit præscripta. Apertus autem est in hac re *Calvinus* capite à te citato, *Miror qua fronte* (inquit) *ausint contendere, Confessionẽ de qua loquuntur, iuris esse divini? Cuius equidẽ vetustissimũ esse vsum fatemur, sed quẽ facilè evincere possimus, olim fuisse liberũ*. Vnde posteà infert, *ipsis testibus, nondùm elapsi sunt anni trecenti*

Pag. 173.

Pag. 174.

Instit. lib. 3. cap. 4. § 14.

§. 7.

centi, ex quo iniectus ab Innocentio tertio laqueus, & imposita confitendi necessitas. Visne aliquid expressius? Ibidem. *Quicquid blaterant omnes conducitij Papæ vabulæ, tenemus, neq; Christum huius legis authorem esse, quæ ad enumeranda peccata homines cogit: imò fluxisse annos mille ducentos, à resurrectione Christi, antequam talis vlla lex ferretur.* Firmat illud in sequentibus, ex historijs, & luculētissimis (*Chrysostomi* præsertim) testimonijs, quę vtcunq; callidè declinare conetur *Bellarminus*; illud interim constat, quod tuam prodit inscitiā, *Calvinum* huic Confessionis *sigillo*, quod tu innuis, omninò non subscribere. Collige igitur argumentum, *Confessionem Calvinus agnoscit, ergo vestrum confitendi modum?* Si *Casaubonus* sic concluſisset, actum esset de *Analyticis, & Topicis*: at Iesuitis integrum est à *genere* ad *speciem* affirmando descendere, vnde valebit cōnexio, *Eudæmon* est *mendax*, ergo *Cretensis*. Nisi fortè concedas hujusmodi reciprocari.

§ 8. Libr. de pœniten. cap. 5. & 11.

10 Vltimū vellicas in *Casaubono*, quòd *Confessionem* vestram hanc *clancularium*, vos *sacramentum esse asserere, nec minus quam Baptismū aut Eucharistiam, non falso quidem, sed inepte & impiè obiecerit.* Verba ejus sunt, *At vos qui sacramenti loco eam* (hoc est confessionem) *habetis, non minùs quàm Baptismum aut Eucharistiam, magnà omninò reverentiā eam tractare, et finis semper meminisse oportuit, cuius gratia fuit inventa, nec quicquam committere, cur homines sibi-*

Epistol ad Front p. 129.

sibi persuadeant, alio fine eam hodie à vobis exerceri, quàm fuerit olim instituta. Adducit hic vestram tantum de confessione sententiam, nec (vel te fatente) *falso quidem*, ipse quid sentit, nō exprimit, vtrum *sacramentum* sit, vel non, nil affirmavit, vel negavit, à vobis solùm vult *reverenter* eam haberi, & *ad proprium finem referri*, cum in eodem sacramentorum canone cum Baptismo & Eucharistia reponatur. Vrgentur hæc in vestram gratiam, ne sacramētum in fraudem adhibitum scandalo esset vestris aut vobis ignominiæ; & hoc est tandē *inepte & impie* objicere? Ineptúmne tibi videtur in sacramēto requirere sacramenti reverentiam? Vel impium ad proprium finem respicere & collimare? Sed quomodo saniora expectabimꝰ à volatico quodam & rapsodico Baiatrone, qui refellere aggreditur, quæ nunquam legerit, aut intellexerit, qui si nonnulla ex *Bellarmino*, aut *Valentiano* possit exscribere, minimi habet pensi, quàm ineptè accomodat. Quinimò quod ferendum minùs, tam tumultuariò hinc inde centones ex illis consarcinat, vt nec scopum ipsorum attingit, nec antecedentia respicit, aut consequentia. Nam (vt omittam quàm sit ridiculum, excurrere ad illud stabiliendum, quod adversarius non labefactavit,) cujus esset frontis *Lutherum, Philippum, Zuinglium*, & *Calvinum*, adducere, vt confessionis auricularis patronos, quos refellit eo nomine eodem loco *Bellarminus* tuus, quòd sacramentum hoc expunxerint? Vt-

cunq;

cunq; enim *Lutherus* & *Philippus*, Absolutionem sacramentis annumerant; auricularem tamen hanc confessionem vestram, ita explodunt penitùs, vt mirum est quenquam esse tam vecordem, vt quod dictum est de *Absolutione* in scripturis institutà, ad præscriptam à *pontificibus* confessionem transferat. *Calvinum* autem & *Zuinglium* cùm his annumeres, argumento profectò est te Authores hujusmodi non legisse, sed per cancellos pro more, in Bibliothecis vestris inspexisse. Quòd si vel *Bellarminum* sicco pede de *pœnitentia* percurrisses, accepisses illic non tantùm *Zuinglium libro 1°. de vera & falsa religione, capite de sacramentis*, sed *Zuinglianos* (vt loquitur) *omnes pœnitentiam à numero sacramentorum remo vere.* Quid de *Calvino* addit, libro 4°. *Institutionum cap.* 19. § 15. & *sequentibus*, non negat solùm *pœnitentiæ sacramentum: sed etiam multis argumentis nullum eiusmodi sacramentum esse conatur ostendere. Quod idem facit in antidoto Concilij Tridentini Sess. 6. cap.* 15. Cui non tantùm *Bezam*, sed *Selneccerum, Wigandum, Magdeburgenses, Illyricum, Kemnitium*, consentientes introducit. Sed hæc in dictatis tuis non inveniſti; nec breviſſimum *Bellarmini* caput vacaverit perlegere. Aliter nunquam concluſiſſes, *confeſſionem non humanum, ſed divinum fuiſſe inventum. Neq; ſacramentum improprie, ſed verè & proprie noſtris Apoſtolis adſtipulatoribus.* Sed quem peregrinã tem ſic obſervavimus in *Neotericis*, imò in *Auguſtino*

Lib. 1. de pœnitent. cap 9.

Pag. 167.

gustino suo *Bellarmino*: non expectandum, vt *Antiquiores* appositiùs adduceret. Vrget *Casaubonus*, si *confessio auricularis* sit ex diuino Iure, qui fit *quòd veteres*, (ecclesię scilicet patres)
Pag.177 *hoc latuerit*? Respondes tu, *vel vnum è veteribus ostende, qui contrà docuerit*. Siccinè argumentantur *Iesuitæ*, *veteres* nil docuerunt contra *confessionem* auricularem, ergo est iure diuino? Ita veteres etiam (*Augustinus* scilicet & *Hieronymus* cum plurimis alijs) *nil docuerunt* aduersus *Alcoranum Turcicum*, num illud igitur eodem ratiocinio confirmabitur? Sed vestra patiuntur *Topica*, in extremis causæ angustijs, *argumentum* ab *authoritate negativè* valere. Agè verò, perfrica frontem; *patres* non ferunt suppetias, *scholastici* interim (inquis) nobiscum consentiunt, vnde argumentum.

In quo scholastici consentiunt, illud est ex iure diuino: at scholastici, in arcana huius confessionis religione, consentiunt. Ergo *est ex iure diuino.*

11 Istę sunt difficultates & labyrinthi logici, in quos *Grāmaticus Casaubonus*, tam periculosè se præcipitavit. quis enim se audeat apponere *scholasticorum placitis*? præsertim cum loquuntur ex novo *tripode*; sic vt cœleste sit oraculum quodcunq; antiquioribus assuunt. Vnicum restat effugium Scholasticos nō omnes tā
178. *diligentes, tam doctos, tam sapientes, quos aliquot iam seculis miratus est orbis terrarum, & consequens omnis ætas mirabitur*, nō vndequaq;

hic

hic (vt tu fominas) consentire. Non consentit (*Caietanus*, dum *modum consitendi in aurem nõ esse à Christo institutum astruit*. Vix consentit *Scotus*, qui an petendum sit ab Evangelio, vel ex *traditione Apostolorum*, absq; omni scriptura, in medio hæsitabundus relinquit. Reclamant *Canonistæ*. Meliùs dicitur, eam institutam fuisse à quadam Ecclesiæ vniversalis *traditione* potiùs quàm ex novi vel veteris Testamenti authoritate. *Grattanus*, lectoris permittat iudicio an tenebit confessionem institutum fuisse divinum, aut humanum; quia *vtrag*, (inquit) *sententia habet sapientes & religiosos viros*. Hos consuluisses priùs (mi *Eudæmon*) quàm *scholasticos* omnes ad tuas partes tam audacter asciviſſes. Sed tu quia nomina nonnulla tenes *scholasticorum*, & distinctionum inanes quisquilias, innatâ elatus garrulitate, & *societatis* tuę fastu; existimas te posse transalpinos omnes, in arenam provocare. Ac si apud nos non exstarent ampliùs Academię, non præciperentur artes, non discuterentur *scholastici*; sed *patres, historia, lingua*, ad *Iesuitarum* magnifica palatia, se tandem contulissent. Verùm hospes non est *Casaubonus* in republica literaria, novit tam vestrorum studia, quam molimina; nec temerè (crede mihi) aut Galliam reliquit, aut apud nos, quam diù sibi placuerit commoraretur. Invenit enim *Regem* serenissimum, & doctissimũ, qui non aliorum vidit oculis, nec tam *defensor fidei* dicitur, quam revera est, qui doctis favet,

In Iohan. 20.

In 4 Sent. dist. 17 qu. 1.

Gloss. de pœnit. dist. 5. c. 1 § in pœnit. Dist. 1 q. 3. c. 89. Quũ via

vet, quos præit, & probat, priusquàm rejicit gregales tuos, ex ipsis veritatis fontibus non tantùm humanitùs errare, sed diabolicè furere. Invenit *Episcopos*, non vmbratiles vestros & mitratos, sed solidè doctos, piè humiles, in gregibus instituendis assiduos, & accubuos, quos si videres semel, & convenires, *Augustinum* tuum *Bellarminum* non tanti faceres. Academicos, & ceteros pastores eiusdem census, ambitiosum esset recensere. Hos invenit *Casaubonus* non gloriæ ipsius æmulos, sed religiosè participes: nec tam angustis cancellis compingitur regia beneficentia, quin & suis, vnà cum ceteris affatim satisfaciat. Quare supervacanea, ne dicam effrons & puerilis tua est peroratio, quâ & aulæ detrahis, & *Casaubonum* nescio quibus lemuribus absterrere satagis. Metiris quidem omnia ad servitutis tuæ ergastulum. *Casaubonus*, si benè audiat (vt hactenùs fecit apud cordatos viros) non curet tuæ fæcis importunos latratus, gaudet se separatum esse, à *Babylonis* catharmatis, fruitur eorum consortio, quibuscum liberè agat de re literaria, confirmet recepta, expediat dubia, inquirat abdita, conferat adversantia, sine inquisitionis infanda carnificina, quâ cogitis vos potiùs quàm ducitis miserrimos vestros discipulos, vt credant quę nesciunt, detestentur illos vt hæreticos, quorum opera non permissum est inspicere. Non audiet hic fastum Iesuiticum, *pœnès nos est imperium literarum*, nos muniti sumus privilegio, vt non possi-

possimus errare. Postremò ineptissimum te esse judicat inter omnes *Antichristi* ambubaias, qui transitum illius in *Angliam* reprehenderet. Quid (inquit) cur *Græculus* iste ad suos *Cretenses* se non confert? quare iste præcipuus est, qui non *Latinis* tantùm, sed *Gallitis*, sed *Britannicis* se immiscet negotijs? annon habet quo cõsulat suis conterraneis? annon timet ne *Italis* promptitudinis, & zeli laudem à *Græculo* quodam loquutuleio præreptam illis invideant? Nec est quòd speres mercedem in tam corrupto papatus statu, plus proficies (si vera narrãt) apud *Cardinalem Burghesium* auri tinnitu quã libellorum, præsertim talium, vel spississimâ farragine. Non enim canis latrans, sed asinus onustus auro, Capitolium vestrum ingreditur. Si *Cardinales* nonnullos è vestris interrogares, *Amici quomodo huc veniſtis?* ex qua (quæso) Academia, aut disciplina? annon cùm se nudos intelligant statim obmutescerẽt? sexcenta hujusmodi regerere quispiam poterat, vt tibi tam speciosè concludenti talione gratificaretur. Sed muscarum est vlceribus tantùm insidere. Non libet igitur vlteriùs sentinam hanc exhaurire. Vnicum interim non est omittendum de *Casaubonipatre*, quod agmen aliorum claudat, vt palmare mendacium. Hunc enim ter ad minimum innuis, suspendio diem objisse. Vnde sales isti tui de *reste Lycãbeo*, de *hæreditatis funiculo*, de *odio Casauboni* in *Magistratum* & *carnificem*: expectabam etiam & ego obiectũ

Vid. supplic. ad Imperat. cont. Paul. 5.

Pag 91. Pag. 95. 168.

re-

regicidium, aut *conatus in rempubliceam sulphureos*. Quæ cum *Casaubono Oxonij* communicassem, præsentibus *Academiæ* primoribus, obstupuêre primò omnes, deinde de *Luthero*, *Calvino*, *Beza*, consimiles referuntur historiæ. Tandem ad me *Casaubonus*, Pater meus (inquit) tibi nec de facie, nec factis erat notus, cetera vt videbitur deleas, ego huic mendacio parabo spongiam. Fecit, misit, de verbo ad verbum hic subijciam, vt sentias ad quem restem res tuæ iam tandem redièrê.

Is. Casaub. ad Cardinal Baronij annales exercitat. 1. pag. 39. edit. Norton.

12 Græculus Cretensis Andreas Eudæmõ- "Iohãnes, animosissimus ille parricidarum pa- "tron", lanienæ Parisiensis cupidissimus laudator, prodigiũ è mendaciis & ignorantia conflatum, non solũ Christianus audit, sed est etiam Iesuita, & Missas Romę quotidiè, vti fama est, celebrat. Hic est ille parricidiorum in Reges & Principes vnicus magister, qui ad cetera sua scelera, nuper adiecit immanitatis plus quàm Turcicæ facinus execrandum. Nã qui objectis à me criminibus, veri respondere nihil posset; non solùm in me convicia fasa, absurda, ridicula, & furentis Cretis rabiem duntaxat prodentia, effudit: sed etiam Arnaldi *Casauboni*, venerandi parentis mei, ante tot annos fato functi, pretiosam apud omnes bonos qui nôrant, memoriam, contra jus Gentium, spreto anathemate, quod veteres Hebręorum sapientes in malè de mortuo loquentẽ pronuntiârunt; deniq; contra ipsorum

" rum etiam Paganorum inſtituta ac leges,
" impiè ſollicitavit ac Diabolico mendacio i-
" vit infamatum. Fingit ſceleſtus Cretenſis, &
" audet affirmare quâ impudentiâ eſt, patrem
" meum, rei capitalis damnatum, laqueo vitã
" finiiſſe. ô furiam! ò immanitatem plus quàm
" Turcicam! nam etiamſi ita eſſet, (eſt autem
" falſiſſimum, vt demonſtrabimus) quæ hæc
" eſt barbaries, in cineres iam pridem condi-
" tos furorem exercere ſuum? filio cauſam pa-
" tris, licet fabula non eſſet, exprobare? Neſcit
" ſceleſtus, neſcit, quid ſit diſcriminis inter ἀ-
" τύχημα & ἀδίκημα. Sed vide mihi Cretici hu-
" jus prodigij θεάλατον amentiam. Quum enim
" ter figmentum hoc ſuum repetat, vt paucos
" ante dies narrabat mihi Oxonij *Iohãnes Pri-*
" *deaux*, vir doctiſſimus & pietatis eximiæ: (e-
" go ſanctè juro, me paucis paginis inſpectis,
" putida & aperta mẽdacia floccifeciſſe & nũ-
" quam legiſſe:) crimen tamen quod patri im-
" pingeret, ne fingere quidem vllum potuit. E-
" logium puniendi non recitat: non locum, nõ
" tempus indicat: crudum mendacium, vt fue-
" rat ſibi à Satana inſpiratum, contentus evo-
" mere. En quales exquiſitioris pietatis magi-
" ſtros patria Iovis edat, vrbs ſepticollis ſinu
" ſuo excipiat, educat, foveat! En qualia men-
" dacia auctoritate Cenſuræ ſuæ Princeps A-
" quaviva ſoleat comprobare! Pater meus, vir
" pietate, probitate & prudentia inter paucos
" inſignis, anno ſuperioris ſeculi octuageſimo
ſexto,

" Diæ, vel vt veteres nominabant, Deæ Vocõ-
" tiorum, in Delphinatu, ipsis anni novi Kalen-
" dis morbum contraxit: invasitque eum febri-
" cula, lenta quidem, verùm continua. Quum
" medici, atque imprimis Laurentius Videlius
" Avenionensis, (sed qui religionis variè cor-
" ruptæ reformationem ante multos annos e-
" rat amplexus) in ea arte eximius, & veteri a-
" micitia patri meo conjunctissimus, nihil pe-
" riculi, & omnia signa ad salutem esse, confir-
" marent: ipse tamẽ ex quo primùm decubuit,
" instare sibi fatalem horã intellexit; & qui de
" exitu morbi nõ dubitaret, vxorem suam, ma-
" trem meam, pijs alloquijs sæpè est consola-
" tus. Sexto Kalend. Februar. pater testamen-
" tum condidit: quod excepit notarius, vti vo-
" cant, Apostolicus, cui nomen Cheysieu. Scri-
" bendo testamento adfuerunt, A. Podianus
" (du Puy) Prætor vrbis; qui paullò pòst peste
" extinctus, ingens sui desiderium civibus suis
" reliquit; L. Videlius, R. Bruierius, I. Draco,
" alij viri primarij, amici patris, quorum nomi-
" na in tabulis testamenti leguntur. Kalendis
" Februarij, Dei nomen invocans, & delictorũ
" veniam petens, sine vllo cruciatu, placidè in
" Domino obdormivit: nactus, si quis mor-
" talium, quam frustrà sibi optabat Christũ ig-
" norans Augustus. εὐθανασίαν. Adfuit ægrotã-
" ti, & beatam animã (sic opto & spero) Crea-
" tori suo reddenti, pia mater, singularis exem-
" pli fœmina, Iohãna Rousseau: quæ annos ferè

tri-

"triginta, ſive vlla vel leviſſima querela, vixit
"cum ipſo conjunctiſſimè: adfuerunt & filiæ
"duæ, Sara & Anna, ſorores meæ; generetiam,
"Petrus Chabanæus, cum duobus ex ipſo ne-
"potibus, Petro & Iſaaco. Ego ſolus liberorũ,
"quæ mea fuit infelicitas, aberam; quòd qua-
"driennio antè, Franciſco Porto, & Græco &
"Cretenſi; ſed quæ ſincera pietas, virtus excel-
"lens, & ſingularis doctrina, bonis omnibus
"venerabilem reddebant; in Græcarum lite-
"rarum profeſſione Genevæ adoleſcens ſuc-
"ceſſeram. Adfuerunt præterea ægrotanti
"frequentes cives, cum Dienſes, tum Chre-
"ſtenſes; qui belli cauſſa Chreſta, ſive Criſta,
"(id oppidum eſt vicinum in Epiſcopatu Va-
"lentinenſi, cuius olim Dia caput erat, nunc
"membrum) Diam conceſſerant: item è nobi-
"litate Reformata provinciæ illius quàm plu-
"rimi: quum fortè eo tempore frequentiſſi-
"mus Proteſtantium cõventus Diæ ageretur.
"Elatus eſt IV. Non. Febr. ſuccollãtibus civib⁹
"honeſtiſſimis. Deduxerunt funus omnes ci-
"vitatis ordines, & nobiliũ ac ceterorum, quí
"ad publica negotia convenerant, pars maxi-
"ma. Luxerunt patrem, & diu deſiderâ-
"runt, omnes pij, probi, ac prudentes viri.
"In his fortiſſimus heros, & gloria rerum
"geſtarũ toto Orbe notiſſimus, Leſdigue-
"rius, & vniverſa nobilitas: in qua præcl-
"puos amicos habuit, Cugium, Gouvernet-
"um, Bellofortium, Poetium, Dumaſium, Cõ-

"sium, Chailarium: qui omnes, aut liberi eo-
"rum, etiam nunc sunt in vivis. Chailarius
"tunc admodum iuvenis, ad Pontificios po-
"stea transiit: idem tamen Arnaldi Casauboni
"nomen sine honore vsurpare, ne nunc quidē
"solet: memor arctissimæ amicitiæ, quæ olim
"patri meo cum ipsius parente, viro magno,
"& cum Pedegrotio eiusdem patruo, interces-
"sit. Obiit ὁ μακαρίτης anno climacterico, æta-
"tis suæ sexagesimo tertio. Ego literis Videlii
"xv. Kal. Mart. scriptis, quas a Theodoro Beza
"mihi traditas servo, de obitu optimi paren-
"tis factus certior; dolorem meū paucis verbis
"ἀπλάστως testatus sum, in Commentarijs ad
"Strabonem, quos tùm scribebam, libro 5°,
"p. LXXXIV. Qui si Cretensis huius impostoris
"impudentiam, furorem & scelus prævidere
"potuissem; vitam patris mei literis mandassē,
"& ingentia Dei Opt. Max. erga ipsum bene-
"ficia enarrans, omnibus Cretensibus, omni-
"bus Iesuitis os obturassē; & de vniverso no-
"mine Casaubonio bene essem meritus. Neg-
"lexi hactenus hoc officium, conscius mode-
"stiæ & verecundiæ patris mei, quæ fuerunt
"in illo admirandæ. Nunc quia pietas id iu-
"bet, ne de veritate impunè inimici Dei tri-
"umphent; faciam tandem, volente Domino,
"quod ante multos annos factum oportuit; &
"importunam ac truculentam hanc feram, ve-
"ræ narrationis telis vndiq; confodiam. At tu,
"Christiane Lector, criminatione ab vna cog-
nosce

"noſce omnes. Nam quid de toto libello Cre-
"tenſis Ieſuitæ iudicandum ſit, vel ex hoc vno
"potes ſtatuere. Potes dicò imò, ſi quid in te
"candoris, ſi quid veræ pietatis, omnino de-
"bes. Gemina quippe fabulæ huic ſunt omnia,
"pari ſcelere ficta, pariter falſa. Neq; verò ex-
"ſpectet hic aliquis, vt ad frigida illa convitia
"reſpõdeam; *Quod ſim hæreticus Calvinianus*:
"quaſi ſit rabulæ huius & hæretici Bellarmi-
"niani, de verè antiqua fide judicare; quam aut
"nunquam didicit, aut vnà cum lingua Græ-
"ca Græculus Apoſtata oblivioni tradidit.
"*Quod ſim Græcarum literarum & omnis eruditionis imperitus.* Sed quis ferat cœcum, de co-
"loribus? *Quod latinis Græca immiſceam.* No-
"vum crimen Caie Cæſar! Hoc tamen malo,
"quàm ſi diceret, me defendendo parricidas,
"ad nova parricidia Caſtellis, Catisbeijs &
"Ravaillacis, Deus omen avertat, iter munire.
"Nolo eruditorum noſtri ſeculi, Turnebõrũ,
"Lipſiorum, Scaligerorum exemplo factum
"tueri. Nolo Panigarolæ conciones in medi-
"um afferre. Taceo morem multis alijs conci-
"onatoribus partium Romànarum hodie v-
"ſurpatum, qui apud indoctam plebeculam
"Latina, Græca, aliquando & Hebraica reci-
"tant, ſæpe, (Latina præſertim) ſine interpre-
"tatione. Certè olim Cicero ad Pomponium
"Atticum Græcè doctum, ita ſcripſit, vt ego
"ad Frontonem Ducæum Græci ſermonis in-
"telligentem. *Quod parùm in Logicis exerci-*

"tatus sim Melius istud novit Iulius Pacius, V.
"Cl. Iurisconsultus & Philosophus insignis;
"qui me adolescentem in studijs Iuris civilis
"& philosophiæ Aristotelicæ, non solum pub-
"licis recitationibus, sed etiam privato labore
"instituit: qui multis annis priùs quàm suum
"in Organum ederet doctissimum Commen-
"tarium, mihi & Petro Perillæo affini meo, &
"P. Pineto, eruditissimis olim adolescentibus,
"quorum prior etiam nunc vivit, verbis fere
"totidem illum dictaverat. *Quod inter operas*
"*typographicas domus Stephanicæ creverim.* E-
"go verò si ita esset, laudi id mihi vertendum
"contenderem. Nam ex illa domo, ceu ex e-
"quo Troiano, multos prodijsse excellente
"doctrina viros, facilè possem probare. Sed
"mentitur Cretensis: nam ego juventutem
"meam non corrigendis chartis typographi-
"cis exegi; sed bonis artibus discendis, & om-
"nis generis auctoribus diurna nocturnaque
"manu pervolutandis. Verum hæc & similia
"his missa faciens, illa potiùs hoc loco brevi-
"ter attingam, quæ vt maioris momenti sunt,
"ita calumniatoris impudentiam & immani-
"tatem melius produnt. Ait igitur Alastor, p.
"168. *patris mei memoriam me infensum Ma-*
"*gistratibus reddere.* Sed quid ego fecerim,
"quod meum erga Magistratus animum in-
"fensum prodat: quam doctrinam defenderim
"Regibus & Principibus exitiabilem: hoc ve-
"ro non docet Cretensis. Cur tacuit? cur mihi

pe-

"pepercit? Enimvero cũcurrant in vnum om-
"nes Cretenſes;capita conferant omnes Lo-
"olæ diſcipuli: ipſum ſi voluerint Diabolum
"(rem futuram non novam) in conſilium ad-
"hibeant: nunquam tamen in actionibus aut
"ſcriptis meis aliquid invenient, quod huius
"criminis vllo pacto affinem me queat redde-
"re. De patre verò meo quàm impudenter mẽ
"tiatur Cres impudentiſſimus, quid attinet
"dicere? ſatis hoc ex ante dictis liquet. Pater
"meus, vitæ vir integerrimæ, & Magiſtratibus
"omnibus eum ſemper honorem ac reverenti-
"am ſubmiſſè exhibuit, quam ex Dei verbo
"didicerat illis deberi: & ipſe vicißim, vbicũq;
"vixit, ſemper Magiſtratibus Dei timentibus
"vixit apprime charus. Nunquam ille ſibi à
"Magiſtratu metuit. Nunquam illi Magiſtra-
"tus, ne diverſarum quidem partium, aut diem
"dixit, aut vllum omnino negotium faceſſiit:
"fecit q; etiam hic, vt verè dictum videatur,
"*Sui cuiq; mores fingunt fortunam*, quod de
"Attico viro prudentiſſimo, olim ſcriptum.
"Pericula quidem magna, quod erat neceſſe
"in bellis civilibus, pater fæpè adijt, ſed quæ
"omnibus eſſent communia, quos pietas erga
"Deum compellebat. vt Romanæ Eccleſiæ
"depravationes optarent eſſe emendatas: ex
"propria cauſſa nullum vnquam. Ex omnibus
"autem periculis, ex omnibus lanienis, Domi-
"nus noſter IESVS CHRISTVS, pro ſua in-
"exhauſta bonitate, & infinita in ſuos ſervos,

" quamvis invtiles, clementia, semper ipsum
" eripuit. Sit eius nomen in secula seculorum
" benedictum! Ruit igitur Creticum enthy-
" mema: & tam falsum consequens, quàm falsũ
" antecedens. Sed nonnè monstro simile est, de
" fide adversus magistratum audere mutire Ie-
" suitam, illum inquam Iesuitam, studiosissimũ
" parricidarum patronum, cuius scripta omnia
" eò spectant, vt legitimi Magistratus, Reges
" ac Principes, simulac ex arce Capitolina in-
" tonuetit, de solijs deturbentur suis, & fulmi-
" ne percussi, Castellis, Catisbeijs, Ravaillacis
" tradantur conficiendi? Nam *executio ad alios*
" *pertinet*, ait Card. Bellarminus Iesuita: quorũ
" verborum vim probè intelligere se, amplissi-
" mi ordinis Patres, fremente Roma, Lutetiæ
" ostenderunt. Sed & Becanus Iesuita alius nu
" per, quid lateret mysterij in verbis Bellarmi-
" ni satis superq; declaravit. Proferat simile e-
" liquid è meis scriptis Alastor Cretensis; & e-
" go principum omnium atq; Magistratuum
" odio me dignissimũ esse vltrò cõfitebor. Ait;
" *epistolam ad Frontonem meam, perfidiæ meæ,*
" *mendacitatis & avaritiæ fore perpetuum mo-*
" *numentum*. Imò verò, epistola illa, quæ parri-
" cidarum magistros, quæ omnes alios eiusdẽ
" mentis profanos homines, Hildebrandi ple-
" nos, adeò cruciavit; meæ fidei erga vnctos
" Dei, & humillimæ subiectionis, mei propter
" eædem Henrici Magni (quem sua nimia cle-
" mentia, & hominum doctrina Hildebrandi-

na

"na imbutorum ſcelus inexpiabile perdide-
"runt, inenarrabilis mœroris & luctus: mei
"deniq; in auctores pulverariæ coniurationis
"iuſtiſſimi odij, & totius illius humanam fidē
"ſupergreſſi ſceleris, acerrimæ detéſtationis,
"perpetuum dum literæ erunt, manebit monu-
"mentum. Perfidiæ ſuſpicio in morum meorū
"ſimplicitatem non cadit. Quod alicubi ait
"hic nebulo, *multum me Ieſuitis ſuis debere,*
"*quibus fidem non ſeruauerim*: tam verum eſt,
"quàm patrem meum, qui piè in lectulo ſuo,
"inter ſuos obiit, laqueo nitam finiſſe eſt verū.
"Egóne vt fidem meam Ieſuitis vnquam ad-
"ſtrinxerim? Non hoc credent qui me nórunt;
"neq; exiſtimo eſſe vllum in Gallijs tam per-
"frictæ frontis Ieſuitam, qui hoc auſit dicere.
"Cogor hic repetere, quod pluribus alibi ex-
"poſui. Lutetiâ diſcedens, quando in Angliā
"veni, rogatus ſum à Frontone Ducæo, vt Se-
"reniſſimo Regi vellem ſignificare, hominum
"ordinis Ieſuitici præclaram eſſe erga ipſum
"voluntatem: daturoſq; ipſos operam in po-
"ſterū, vt ne quid à ſuis proficiſceretur, quod
"ipſius Maieſtati meritò diſpliceret. Poſtquā
"in hanc aulam veni, quæ mihi dixerat Fron-
"to Regi declaraui. Poſt paucos oppidò dies
"literas ab eodem Ducæo accepi, quibus im-
"penſè rogabar, vt Apologiam pro Ieſuitis re-
"cèns editam, Regiæ Maieſtati commendarē:
"librum enim eſſe eximium, in quo ſincerā
"mens & Innocentia Ieſuitarum clarè demon-

" straretur. Mox vt ad Sereniſſimum Regem
" accessi, inveni ipsum illam ipsam Apologiam
" inter epulas legentem. Non diu in regijs ma-
" nibus liber est versatus, priusquam incideret
" ipsius Maiestas in illa loca, vbi pulveraria cō-
" iuratio, ceu ficta fabula irridetur, & Garnetus
" ceteriq; inauditi sceleris complices cœlis in-
" seruntur. Fateor, nihil temerè accidisse mihi
" vnquam magis præter expectationem: non
" quia Iesuitarum doctrinam & alienos à Re-
" gibus animos ignorarem: neq; enim sermo-
" nes mihi exciderant memoria, quos paullo
" ante Binetus Iesuita mecum habuerat: sed
" persuasus Frontonem & probum & pruden-
" tem virum esse, epistolam eiusmodi fore ad
" me scripturum non arbitrabar, quam adeò
" manifestè refutaret liber quem commenda-
" bat. Hæc est caussa cur illam ad Frontonem
" epistolam scripserim: in qua peccatum aliud
" esse à me nondum equidem animadverto;
" nisi quod doctrinæ parricidialis infamiâ pau-
" cos notavi: ipsam Societatem, quantum res
" patiebantur, criminis conscientiâ liberavi.
" Et perfidiam meam; en crimen. Veritus sum,
" ne si Marianæ, Becani, Bellarmini, Emanue-
" lis Sa, & paucorum id genus doctrinam vni-
" versæ Societati adscriberem, iniquus vide-
" rer. Sed hoc Romanis Iesuitis, vti video, dis-
" plicet; qui caussam paucorum illorum à caus-
" sa totius Societatis divelli non ferunt. Age,
" morem posthac istis Patribus geramus, & si

ita

"ita volunt sunto per me omnes Marianæ,
" omnes Becani, omnes rabiosi Cretenses.

Invitum qui servat, idem facit occidenti.

" Interim quod ait hic Alastor, multum me Ie-
" suitis debuisse; id ego mendacium cæteris si-
" mile esse contendo. Cum Societate illa nihil
" mihi fuit vnquam commercij; cum vno aut al
" tero ejus ordinis colui amicitiam. Officia hu-
" manitatis si quæ ab ijs accepi, audebo dicere
" vices me semper rependisse, & quidem, si po-
" tui, ex Hesiodi præcepto αὐτὸν τὸ μέτρον, κλέ-
" ονι. Fateor, si vel ego vel vxor mea, constan-
" tissimæ pietatis fœmina, (etsi Katharis non-
" nullis aliter aliquando, sed sine caussa, est vi-
" sum;) vænalem habuissemus conscientiam:
" potuisse nos aliquid antesignanis Iesuitarum
" quibusdã debere. Hujus verò generis officia
" quum ego & vxor pari robore animi, (Deo
" immortali sit laus) semper detestati sim⁹; quid
" ego Iesuitis debere potui, plus quàm illi mi-
" hi? Quo tẽpore propter Castellum discipulũ
" suum Iesuitæ exulabant, Henricus Magnus
" me, è commendatione summorum virorum,
" non merito vllo meo, sibi notum, Lutetiam
" accivit, & liberalitate sua fovere instituit: ne-
" que vnquam postea ipsius voluntas erga me,
" aut mutata fuit, aut imminuta. Quum semel
" atque iterum veniam ab ejus Majestate hu-
" millimè petijssem, in locum aliquẽ ab inter-
" pellatoribus liberiorem, quò studijs meis cõ-

su-

"sulerem, cõcedendi: severâ voce, sed admirã-
"dæ bonitatis teste, (hei mihi! Cur ego tam in
"dulgenti Mæcenati meo fui superstes?) Pre-
"ces meæ sunt repulsæ. Nihil fingere me illu-
"strissimi amplissimisque dignitatibus in aula
"Gallica præditi Proceres, probè nôrunt: om-
"nium verò optimè, qui meas preces semel de-
"ferens, similiter est repulsus, illustrissimus To-
"parcha, Dux Sullius. Tanti Regis & tot Pro-
"cerum benevolentia subnixus, Iesuitarũ gra-
"tia facilè semper potui carere. Qui si vel ma-
"xime alijs præsidijs fuissem destitutus; nun-
"quam tamen ita fui rerum imperitus, aut væ-
"cors; vt eorum ope vti vellem, quorum moli-
"tiones, quò me statione dejicerent, nõ igno-
"rabam. Quando fidei meæ regia Bibliotheca
"est commissa, quid illi commenti nõ sunt, vt
"ne hoc fieret? Possem hic μακρὰν Ἰλιάδα σκαι-
"ωριῶν contexere; quas ne videar ad animum
"vnquam revocasse, missas facio. Possem do-
"ctissimi cujusdam viri, & inter Iesuitas suos
"non obscuri, epistolam proferre, qua de non-
"nullis eorũ in Germania & Belgio odijs Va-
"tinianis, gratis susceptis, & varijs cõsilijs ad-
"versus meam existimationem initis, ante an-
"nos quatuor, certior fiebam. Sed neque ego
"hæc admodum curavi; & omnes meorum ini-
"micorum technas spernendo, measque spes
"ônes in Dei misericordia collocando, sẽper-
"hactenus superavi. Mendacitatem, quod mi-
"hi Cretensis objicit, antiquum scilicet obti-
net,

" net, ac ſceleſtus ſceleſte mentitur.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

" Verùm ignoſcimus Cretenſi: penes quẽ mẽ-
" tiendi palma quum ſit hodiè; veritus eſt, cre-
" do, ne ad alium fortaſſe, tam chari ſibi artifi-
" cij gloria tranſiret. Sed avarus ſum, ait Caco-
" dæmon Ieſuita, & fiſco regio per fœdam a-
" dulationem inſidias ſtruo. Nimirum de ani-
" mo ſuo meum Græculus metitur, & impudẽ-
" tiſſimè etiam hic mentitur. Putat me ſpe neſ-
" cio cujuſdam lucelli adductum, eam epiſtolã
" ſcripſiſſe. Reſpondeo paucis verbis, ſed veris.
" Si propter illam ſcriptionem, quam conſci-
" entia, officij mei ratio, parricidialis doctrinæ
" deteſtatio, & veri Chriſtianiſmi ſtudium ac
" zelus mihi expreſſerunt, nummo teruntio,
" quod quidem ipſe ſciam, factus ſum auctior:
" maneant mihi peccata mea, neque ſanguine
" pretioſo Ieſu Chriſti abluantur. Sereniſſimus
" Rex *Iacobus*, de cujus admirabili præſtantia,
" quicquid Demoſthenes aliquis aut Cicero
" dixerit, minus fuerit, neque delectatur adula-
" toribus, neque falſas affectat laudes, qui a-
" bundat veris. Ego autem ad adulationem
" comparatus à natura non ſum.

Priuſque cœlum ſidet inferius mari,
Tellure porrecta ſuper:

" quàm artem illam infamem, in juventute &
" totius anteactæ vitæ curriculo mihi ignora-
" tam, ſeneſcens addiſcam. Quis autem Græ-
" culo perſuaſit avarum eſſe me? Quo argumẽ-

to

" to? Si avarus essem, dives essem. Atqui Iesui-
" tarum est, non meum, quocunque venerint,
" rei faciendæ, operam strenuè mox dare; insa-
" nas substructionum moles excitare; & Regi-
" bus ipsis invidendas opum gazas, non quæ-
" ro jam quibus artibus, cumulare. Scit hoc I-
" talia, scit Gallia, scit Polonia; & quæ jam ter-
" rarum plaga hoc nescit? Quoties, quàm multi
" Episcopi hoc sunt questi? Quot ceterorum
" Ordinum Societates magno suo damno isto-
" rum industriam sunt expertæ? Mihi ne rebus
" necessarijs egēdum esset, Dei benignitas ha-
" ctenus prospexit: idque rationibus ijs vt plu-
" rimùm, de quibus à me, ne per somnium qui-
" dem cogitatum vnquam fuerat. Ceterùm o-
" pes meæ, octo liberi sunt, & libri: alias ego
" divitias non habeo. Si quid diligentia & par-
" simonia matris familias servatum est; magna
" id ex parte, aut lites iniquæ, aut meorum qui-
" bus nunquam defui, adversa fortuna absump-
" serunt. Verè vt dicere possim, plus mihi à me-
" is deberi, quàm ipse jam in potestate habeā.
" Hæc mea avaritia est. Pietatem & veram vir-
" tutem, Deo sit laus, ab vtroque parente, po-
" tui discere: rem facere & pecuniam sordidè
" amare, ab ijs discere non potui: quos propter
" purioris religionis constantem amorem, a-
" vitis opibus lapsos, in tenui re, frugalitate &
" prudentia splendorem pristinum vidi semper
" retinere. Verum hæc melius ex ijs æqui le-
" ctores cognoscent, quæ de vita & obitu pa-

tris

"tris mei, necessitate jam compulsus, vt dixi, "brevi, favēte numine, sum publicaturus. Prę- "vertat nunc pietas erga Deum, cujus gloriæ "lucubrationes hæ nostræ sunt dicatæ, pieta- "tem erga meos affectus. Interim mendacium "tam insigne, insigni loco confutatum esto. I- "gitur è diverticulo in viam.]

13 Iámne vides (*Sorodæmon*) jámne sentis, quàm justè doctis sis despicatui, & pijs odio? Quid si quis regereret, aut prostibuli te fuisse spurium, aut ab incubo genitum Cacodæmone, sub *Eudæmonis* specie; vnde de parente tuo nil potest constare, an suspensus, necnè fuerit? Mentiretur clamitares, non dubito; sed proprijs interim telis te configeret. Coronidis loco quæ annectis *carmina*, quibus nescio quis ψιλάρπαξ, *terræ* tuę *filius*, conatur ostendere. *Casauboni* in *græcis* imperitiam; vacantis esset operæ ad incudem revocare. Disticho primo, pro *Casaubono*, *Casaoubonum* substituit, vt ex nomine pro arbitratu mutato ludos sibi faceret. Atqui

Εἰ Καυαυβώνου ἐρασύνθετον ὄνομα λύσῃς
[οὐ]ὐχ εὑρήσεις ἐλλάδα σημασίην.

Vbi igitur (mi ἔτις) epigrammatis aculeus? Vbi anagramma,

ΑΙΣΑ ΒΩΩΣΑ, & ΝΟΥΣ ΚΑΚΟΣ?

Tales scilicet sunt *docti* & *viri præstantissimi*, qui *Casauboni* scripta *relegunt*, *vt humanioris literaturæ laudem penitùs ipsi auferant*, *qui exiguam eius cognitionem deprehenderunt*, *qui fur-*

tiva

tiva ipsius Hemistichiola, & syllabas minus constantes riserint; Noctuæ videlicet *aquilam, corvi luscinam, sues Minervam.* Verùm *Cretensem Cretensi* oppono, obscuro tuo *civi*, celeberrimum illum *Franciscum Portum*, cui successit *Genevæ*, in græcarum literarum professione iuvenis adhuc *Casaubonus*; & quem ante annos 34. græcè sic compellavit.

Φραγκίσκῳ τῷ Πόρτῳ, τῷ καὶ γένος Ἕλληνι, καὶ τῇ
τῆς Ἑλληνικῆς παιδείας ἐμπειρίᾳ, μακρῷ
πάντας τοὺς καθ' αὑτὸν Ἕλληνας
παραλλάξαντι, Ἰσάακ ὁ
Κασαύβων.

Ἐλλάδα μὲν ποθέω, καὶ ἐμὸς πλόος ἦτος ἐπ' αὐτὴν
Τοῦ δὲ κυβερνήτεω μ' ἁ ἀπάνις ἴσχε πάρος.
Ἄτλα γέρον, σὺ δὲ δὴ τόδε μοι κρήηνον ἐέλδωρ:
Νῆα μὲν ἰθύνοις αἶψα μάλ' ἐς λιμένα.

Τῷ αὐτῷ.

Δεῦρ' ἴτε πάντες, ὅσους σοφίης γλυκὺς ἵμερος εἷλε,
Δεῦρ' ἴτε πρὸς Πόρτον, πρὸς Σοφίης λιμένα.
Εἴτ' οὖν καλὰ καλοῦ ξυνιεῖν ποιήμαθ' Ὁμήρου
Βούλοισθ'· ἠδ' ἄλλων ὅσσοι ἀοιδοπόλοι·
Εἴτε λόγους ἐθέλοιτε μαθεῖν δεινούς τε σοφούς τε
Ῥητήρων, τῶν τῆς ῥητορικῆς δεκάδος.
Εἴτε παλαιγενέων ὅσσοις ἐγράφησαν ἄεθλοι
Ἀνδρῶν, καὶ πόλεων ἢ φθοραὶ ἢ κτίσεις.
Πόρτος πάντα μάθεν· καὶ Πόρτος πάντα διδάσκειν
Χρηστὸς ἐὼν ἐθέλει, πάνσοφος ὢν δύναται.

Respondit *Portus* hoc epigrammate.

Εἰς

Εἰς Ισαάκιον Κασαύβωνα, ὑπὲρ παιγνίσαλα
Φραγκίσκον τὸν Πέρτον.

Καί κα τὸ βελοίμην Ισάακ φίλε, χ̀ κα ἰδ χάρδος
Ἦν ὑπ τοῖς Μυσίων ἔργα μετερχομένοις.
Ὅρμον ἐμὸν γ' ἀνίμων σκίπα. ἴσχεν, ἰδλὰν ὄνειαρ
Εὑρυχανῆ σοφίης πλαζομένοις πλάγαν.
Ἀλλὰ σὺ Πηγασίδα κρύπτε φιλόσοε, ὗδρος ἄδη,
Χοιράδας ἐξαίρων ἀϊλυγ' ἐς ὑραίην.
Χαῖρ' ὃν ὅτι τόσον πὺ μπόνα ἰδας ἀίξαν,
Θιλξιπόδοιν πιῶν, ἀγλαΐαις ἰπίων.

Non omnes igitur *Cretenſes Caſaubonj* tyrocinia antehac riſerint. Poetaſtrum autem tuum, *gravioribus diſciplinis eruditũ*, ita ſalſè nuper excepit Noſter *Heinſius*.

Ἀρπὶς σοφίης χ̀ ἀληθοσυνίης ἀγερώχου
Σκηπτῦχον βασιλέων θρέμμα Κασαυβόνε,
Εἰλίς ἐν Κρήτεσσι Διὸς μεγάλοιο πολίτης,
Ψευδέων κληρονόμος πᾶβθιν ἐν ἀπίστοις.
Οὔ πες ἐν ἀλλαδικῆς ἀλαίμονα (τίς κα νοήσαι;)
Γλώσσης ἴδλ μόνος, χ̀ μόνος ὄϊδλ λάβεν.
Θαῦμα μὲν ἀνεμέροισι πᾶ ἀνδράσιν, ὐχὶ ἐμοῖγε
Οὐδὲν θαυμάσιον, χ̀ παρ' ἔπος δόκιον.
Κρηπίζων ἀνὴρ ὄϊδλν ἀληθοσυνίης μίγα πῆμα
Κρὴς ἀλλαπίζων δ' ὄϊδλ Κασαυβόνιος.

Quod viri clariſſimi elegantiſſimum Epigramma ſic imitatus eſt, *Mericus Caſaubonus* IS. F. anno ætatis decimoquarto.

Ad

Ad patrem.

O veri antistes, veræ pietatis amator,
Magnorum Regum dulcis alumne, pater:
Cretensis quidam Iovis est è cribibus unus,
Et proprio, mendax, & patriæ vitio:
Græca te ignarum lingua (quis crederet esse?)
Qui novit solus, solus & illud ait.
Ausum ridiculum veniens mirabitur ætas,
Et mirum est: miror sed tamen ipse minùs,
Cretensis siquidem, Cretum mendacia novit;
Doctrinam Græcam, tu venerande pater.

Atque ita habes *Eudæmon* responsioni tuæ spongiam, bili helleborum. Insanire si pergas vlterius, incides proculdubiò in alios, qui te commotum etiam reddent. Postremò, animus fuit in *strictiuras Puteam prodromas*, frigidum etiam sufflasse; sed sentio ex librorum *Catalogo, malo isto nodo*, à *Iusto Muldero Ascanio*, *malum* parari *cunenm*, cui nihil ex hac parte præreptum cupio.

Nundin. autumnal. 1613.

Ps. 136. 11. 12. *Filia Babylonis miseria, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram.*

Soli Deo sit Laus.

M.2.8.

20344

CASTIGATIO CVIVSDAM CIRCVLATORIS, QVI R. P. ANDREAM EVDÆMONIOHANNEM CYDONIVM E SOCIETATE IESV seipsum nuncupat.

OPPOSITA IPSIVS CALUMNIIS in Epistolam ISAACI CASAVBONI *ad Frontonem Ducæum.*

Per IOHANNEM PRIDEAVX SS. Theologiæ Doctorem & Collegij *Exoniensis Rectorem.*

TIT. 1. 13.

Ἔλεγχε αὐτοὺς ἐλέγχους.

Geo Nott.

OXONIÆ,
Excudebat Iosephus Barnesius, 1614.

0344

de *Catharina*, fratris ipsius *Arthuri* vidua, nisi *Pontificis* vestri *dispensatio* maculam istam eluisset. Sed non obscurum est, quam petitis ex ipsius vxoribus, vel *gloriosissimæ Elisabetha causa*. Vtcunque autem ista se habeant, cœlebem, de cõiugii arcanis, tam spurcè declamare, præsertim talium, absentium, mortuorum, idq; ex rumusculis tantùm profugorum, non ex certa aliqua notitia; re, ratione, omnium pœnè cõscientijs reclamantibus; non video ad quam reducas partem *Scholastica Theologiæ*, quæ tua præcipuè videtur professio. Adde quòd nonnihil tibi decedit de patria laude: finxisset enim *Cretensis* aliquid novi de proprio, nec *Sanderi* aut *Parsonii* fel & pus, tam rancidè suis lectoribus pergeret inhalare.

5 Succedunt *Iacobi Regis nostri serenissimi Halcyonea*. Hìc autẽ cùm pauciſſima in trãscursu vellices; quæ non in *parallelo tuo*, aut *Apologia* fusiùs eventilantur; expeditior restat mihi, ad sequentia progressus. Vbi in limine nõ possum non admirari acumen tuum, ad *scholasticas profunditates* aculeatum. Quærit *Casaubonus*, quid sit *Rex noster Bellarmino*, quem negat *esse Christianum, quia non est Romano-catholicus*? Obstupescũt hìc plurimi è tuis, nec hoc pronunciatum ex *petaso* autumãt: nõrunt enim regem fuisse baptizatum, scripturas non reijcere, Ecclesiæ formam obseruare, sacris interesse, & se subijcere, Hæreticis apertis, authoritate & stylo resistere, *Italicis* tantùm quibus.

busdam *additamentis*, animosiùs se opponere. Hæsitant igitur quid proferant, quo sive lapsum adeò temerarium, sive *catachresin* tam incommodam, *Cardinalis*, excusent. At tu, *respondeo* (inquis) *facilè, & sine ambagibus. Calvinianus est.* Admonui semper à principio, quã periculosum nactus sit *Casaubonus* adversarium. Quid enim non conficiet talis logicus? Quem non feriret sic concludens in *Feria? Calvinianus non est Christianus*; *Rex Iacobus est Calvinianus*, ergo *non est Christianus*. At sunt nonnulli inter obtusiores nostros *Anglos*, qui dubitant hìc de *maiori propositione*. Quærunt siquidem, an *Calvinianus* rectè dicatur, qui cõsentit cum *Calvino*, in aliquibus, vel omnibus; si primum, *Cardinalis* erit etiam *Calvinianus*, qui de *Trinitate*, *de persona Christi*, & in alijs pluribus *articulis Calvinum non prorsus abijceret*: sin secundum obtineat, fortasse de *disciplina Ecclesiastica*, alios alitèr statuentes, inter *Reformatos* etiam inveniet. Mihi verò in præsenti negotio quot atomi obversantur? Dic enim serio (mi *Andrea*) nunquid necesse est, vt is qui cum aliquo in doctrina consentiat, à nomine ipsius denominationem statim assumeret? Quot tu igitur titulis tuis (aliàs satis extẽsis) appendices asciscere? *Andreas Eudæmon-Iohannes*, *Cydonius*, *Papanus*, *Hildebrandeanus*, *Ignatianoloiolitanus*, *Baronianus*, *Bellarminianus*, & si hoc modo pergerem, vereor ne ad chartæ calcem, vix reliquus sit locus *Chri-*

ſtiano. Sin non aliud doceat *Calvinus*, quàm quod de *Chriſto* & apoſtolis *acceperit* & ab *incorruptis antiquitatis fontibus* ſatis dilucidè demonſtraverit; cur *Denominatio* imponeretur potiùs à *conſenſu*, quàm à fonte flueret? Dicunt noſtri *tardiores*, ſe *Chriſtianos* eſſe, cum *Calvino*, non à *Calvino* *Calvinianos*; qui *Calvinum* venerantur, quia docet *Chriſtum*, non *Chriſtũ* relinquunt vt audiant *Calviniani*. Quanquam non dubitamus, *Calvinianum* eſſe *Chriſtianũ*; è duobus tamen propoſitis, veteri appellationi adhæreſcimus, cùm novam iſtam in eadem gloriantem, invenimus. Veſtri autem *Benedictini*, *Carthuſiani*, *Franſciſcani*, *Iacobini*, & qui his antiſtant, *ſicut inter ignes luna minores*, *Ignatiani*; Chriſtianos poſſint exuere, vt Ieſuitæ audiant, quia alias invenerunt ſcalas, per quas cœlum aſcendant; noſtri is interim via trita, videtur tutior, & porta anguſta, auguſtior, vbi preſſa *Chriſti* prophetarum & apoſtolorum intueantur veſtigia. Vnde difficillima tibi ſecundò incumbit, minorem præſtandi provintia. Negabit etenim *Rex ſereniſſimus*, ſe baptizatum fuiſſe in *Calvini* nomine, & proindè non magis eſſe *Calvinianũ*, quia cum *Calvino* conſentit, quàm *Viretianus* aut *Farellianus* erat *Calvinus*, quibuſcum in verbi prædicatione arctiſſima fuit ipſius conjunctio. Tranſeamus.

Pag. 135. *Prædicatur Regis in veſtros non modò clementia, ſed etiam beneficentia; cùm primùm rex appellatus erat, meritiſſimè à Caſaubono.* Gratitudinẽ tu-

tuam attendamus. Sic *Caligula* (inquis) & *Nero*, ita etiam *Iulianus apostata, nō immanitatem suam & vasaniam initio prodiderunt*. Prospiceret igitur (te monente) *Rex clementissimus in posterum*, ne nimiùm in vestris condonandis, naturæ suæ indulgens, pergeret portentis talibus à vobis haberi similis. At *Mulctam pecuniariam*, quam *remissam* prædicat, cum *Eliensi Casaubonus*; *Barlous fatetur* posteà *fuisse exactam*. Vbi igitur hæc *regis beneficentia*? *Cesset gratiarū accursus, si non fuerit recursus*, vt scitè *Barnardus*. Inspectus Episcopi locus meditati te arguit mendacij. Annon *Theologi* istius *tui Catholici, ad verbum omnia esse falsa*, in ista narratione asserit Episcopus? Strictim vt ista persequar. *Mulctas* narrat *duplices*. Has tēpore Reginæ Elizabethæ, *coronæ debitas*, quas licèt penitùs *rex* non *remiserit*, facili tamen pretio redimendas proposuit. Aliàs verò *suo tempore accrescentes* tam moderatè exigit; vt condonatis *præcipuis nobilibus*, quos *obsequentes* invenerit, & à *conspiratione omni immunes*, in primo ingressu suspectioribus, tantùm non indulsit, erumpentibus præsertim *VVatsoni*, *Clarki* & aliorum molitionibus, quibus irritata vlteriùs, hebescere non debuit authoritas. Ista habet *Episcopus* in numero citato, quæ tuā proterunt calumniam. Sed nulla interim (Iesuitis ęstimantibus) hic apparet Regis clementia nulla beneficentia indulgentissimis tuis *Papolatris*, qui *protestātes* in vestris oris, longè procul-

Pag. 136.

Pag. 132. § 160

Pag. 132. Ex orat. Comit. Northampt. ad Garnet.

culdubiò mitiùs ſoletis tractare.

6 Reliqua quæ delatantur per multas deinceps paginas, de *Quodlibeticis veſtris rixis*, Pag. 139. De *accuſato à quodam Anglo Parſonio*, De 140. *Molitionibus veſtrorum irritis ad exoptatiſſimum regem noſtrum excludendum*, An *Watſonus* 141. & *Clarkus coniurationem ſuam* Ieſuitis cómunicantes, reſponſum acceperunt, *ſe parilem* 142. *telam exorſos, non potuiſſe ſeſe illis adiungere*, De 143. *Inceptis Catesbei*, de *Ieſuitis* ad minimũ *quatuor cõſpiratoribus*, De *Garneti ſobrietate, conti-* 144. *nentia*, & *innocentia* de opinione, an *liceat in-* 145. *ſontes cum ſontibus perdere, quouſq; poſſis æquivocare*; aut *Paralleli tui ſunt*, & *Apologia, ſcholaſtica Theoremata*, de quibus iam ſatis conſtat, quàm ſunt *demonſtrabilia*, aut non tanti ſunt, vt lectorem morentur, aut inſequente capite, tua methodo, ſpecioſè rurſùs inculcantur. Nam *quodlibeticos* iſtos tumultus, adeò ſerios fuiſſe eſt exploratum; vt licèt vtrinq; iam taceant *ſuperiorum iuſſu*; muſſitant tamen quãtùm audent oppreſſi *Sacerdotes*, nec in æternũ ferent Ieſuitarum ſuperbiam. E quibus cùm *dolorum fabricatori Parſonio*, diem aliquẽ dixiſſe memorat *Caſaubonus*, vt rationẽ redderet iſte *ſpurius*, de tot in patriam intentatis proditionibus; Reſpõdes tu, quòd *accuſator* iſte homo *erat levis. Non ſemel in hæreſin lapſus, commentitiorum inventor dogmatum, fide nullâ dignus.* Tot contrahit ſtatim maculas, qui vel hiſcere tantùm audet in veſtras machinationes;

quas

quas *homines* tantùm *graves, privilegiati* ab omni hæreſi, peſtes dogmatizantium, poſtes fidei, tam maſculè & fœmininè defendunt. Mirum interim eſt, quæ te rapuerit vertigo, vt ſopitam de *Baldwino* iuſtitiam, crocitationis tuę garritu, quantum in te eſt excitares. Curaſtis (ais) *eum*, vt *manifeſti parricidij convictum, exigendum è Belgio, atq; in Germania comprehenſũ, Londinum ad iudicium* deportaſtis. *Non defuerunt Coke*, ſi vnquam veniſſet in *Angliam*, ad *eum convincendum tabulæ*, nec *Torturæ, teſtes. Venit ille*; quid tum poſteà? *Iudicibus vobis, nil dignum morte actum eſt ei.* En fidem *in confingendis tabulis publicis*! At *Baldwinus* forſan tuus, aut cœcos optaret lectores, aut mutos tales advocatos. Expecta pauliſper (mi homo) dum aulæum contrahatur. Fieri poteſt, vt hic Martyrij etiam avidus, per *Garneti* egrediatur portam, vt ex altera *ſpica miraculoſa*, meſſis vobis exvberet.

7 Atq; hic caput hoc clauſiſſem, niſi *S.* tui *Thomæ* interveniſſet mentio, quem à *Caſaubono, pag.* 151. *depravatum* eſſe clamitas. Quid dicam? Non omnibus datur Scholaſticorum opertaneis intereſſe. Opus eſt hic ingenio tam *ſpeculativè ſpeculativo* ad intelligendum, quã anteà erat ad exequendum *practicè practico*. Sed in re ponamus veſtigium. Proponit *Thomas* 2. 2æ. q. 12. ar. 2. Vtrum *princeps propter apoſtaſiam* à fide, *amittat dominium in ſubditos; ita quod ei obedire non teneantur.* Concluſio re-

sponsiva est. *Quàm quis per sententiam denunciatur propter apostasiam excommunicatus; ipso facto eius subditi, à dominio, & iuramento fidelitatis eius, liberati sunt.* Obtestor lectorẽ, vt perpenderet sedulò, quomodo hanc sententiam *depravavit Casaubonus.* Verba eius subjiciam pag. 155. vbi de *fidis serenissimi nostri Regis* loquens *Consiliarijs, Nōrunt* (inquit) *Zelotas hodiernos, sine vlla dubitatione. Thomæ assentiri, qui disertè pronuntiat, ipso facto excommunicati subditos, esse absolutos à Dominio eius, & iuramento fidelitatis.* Conferas hæc cum superiori *Thomæ* pronuntiato, annon eadem sententia, eisdem pœnè verbis comprehenditur? *Imò* (inquis) *duplex hìc est Casauboni mendacium.* Pag. 151. *Primùm enim S. Thomæ, non de excommunicato quacunq; de causa loquitur, sed de excommunicato propter apostasiam à fide. Deinde, non antè docet excommunicatum propter apostasiam, iure dominii cadere; quàm per sententiam denuntietur excommunicatus.* Expectabam te reverà in *Thomæ*, & *Summistarum* corte, velut *gallum* alterum *gallinaceum, verentem proprium stercorarium*, vel vt *Logici tui* loquuntur, juxta *modum ineſſendi Regis in regno.* Sed excerebrāt (vt video) *practica*, vel illuminatissima ingenia. *Casaubonum* enim hìc tam imperitè adoriris, ac si non percepisses planè quid scripserit, aut excidisset penitùs, quid *Magistri nostri statuerunt.* Revoca enim vel ad punctum temporis *speculationes* tuas *angelicas.* Nunquid is qui in-

de-

definitè asserit, *excommunicati subditos absolui à dominio, & iuramento fidelitatis*, illius *depravat sententiam*, qui subditos statuit absolvi *à dominio & iuramento fidelitatis principis talis, qui excommunicatur propter apostasiam?* Putaveram ego *indefinitam propositionem*, restrictionem non tollere, sed includere, vt si *excommunicatus* non retineat imperium, ergo nec *excommunicatus propter apostasiam*, cùm à *genere ad speciem negativè procedat, vt opinor, argumẽtum*. Ceterùm vt proditionis, sic logices etiam *tela, Iesuitis* est *peculiaris*. At plurimæ (dices) sunt excommunicationes, *maiores, minores*, ob *apostasiam*, ob *leviora peccata*, jam verò apostasiæ pœnam delictis quibuslibet levioribus adaptare, an non esset excommunitationem *maiorem* in *minorem* convertere? et *Thomæ* mentem penitùs pervertere? Hucvsq; si rem deducas, *lavabis tamen æthiopem*. Obstruet enim hic tibi os *Valentianus tuus*, qui articulũ hunc *Thomæ* fusè explicans; *Observandum est* (inquit) *pœnam hanc privationis authoritatis in subditos, iuxta tenorem tertiæ & quartæ nostræ assertionis, incurri per excommunicationem: non solùm ob hæresin, & apostasiam à fide, sed etiam ob quamcunq; aliam causam, vt patet ex dictis Canonibus, Nos sanctorum, & Iuratos.* Iã inspicias tu Canonem *Nos Sanctorum* 15.q.6. annó generatim ibi præcipitur *authoritate apostolica*, vt fidelitas nulla excommunicatis præstetur? Nunquid vestigium illic apparet *limitationis*

Vid. Altenstaig. ver. excommunicatio.

2.2. Disp. 1. q. 12. pancio.

tuæ

tua Thomiſtice, vt abſolutio iſta fidelitatis, *excommunicationis propter apoſtaſiã eſſet ſolũ pœna*? non apoſtataſſet, vt videtur, iſte *Hugo Comes*, in ſequente *Canone*. Non vult tamen *Urbanus* 2. vt *iurati ipſius milites* excommunicatũ ferrent ſuppetias. Et ne longiùs abeam, quid patraſſet *Francorum ille Rex Canone precedente* quem depoſuit *Zacharias*. *Apoſtaſia* profectò non objicitur, conſulas textum. *Non tam pro ſuis iniquitatibus*, *quàm pro eo quod tanta poteſtati erat inutilis*, *à regno depoſuit*. At quomodo inutilis? explicat *Gloſſa non intelligas*, *inutilis*, *id eſt inſufficiens*, *tunc enim debuiſſet ei dari coadiutor*, vt 7. q. 1. *quamvis*, & C. *petiſti*: *ſed deſoluſtus erat cum mulieribus*, *& effœminatus*. Quòd ſi hæc ſit apoſtaſia, neſcio an aliqui Pontifices, nonnunquam apoſtataverint. Cõſuluiſſes igitur (mi *Andrea*) hunc *Valentiſſimum* ſcholaſticorum primipilum, priuſquam de *Thoma* ſententia tam temerè pronunciaſſes. Subolfeciſſes tum forſan aliquid in limine? *Quæſtio hæc* (inquit) *vt rectè notavit Bannes*, *non ſolùm movetur de peccato apoſtaſia perfecta*, *quo ſcilicèt quis recedat prorſus à tota fide*, *ſed etiã de peccato cuiuſcunq*; *apoſtaſia*, *& defectionis à fide*, *ſive totalis*, *ſive partialis*; *qualis eſt hæreſis*, *qua idcircò nominari etiam ſolet quædam apoſtaſia*. Expreſſiùs *Caietanus*: *Poteſt eccleſia non ſolùm propter hoc*, nempè apoſtaſiã, vt tu reſtringis *Thomam*, *ſed propter alia crimina*, *vt etiam in litera dicitur*, *eandem pœnam* (ſcilicet depoſitio-

C. 15. q. 6. Can. Iuratos.

Can. Alius.

Ibid ver. inutilis.

N. B. hoc, gloſ ſario non videtur iniquitas ſ

Greg. de Val. vbi ſupra.

ſitionem) *imponere.* Cur autem *Thomas apoſtaſiæ* tantùm meminit, rationem attexit *Caietanus. Æquitas poſtulat, & demeritum vendicat apoſtaſiæ, vt violanti fidem deo, abſtrahatur fides aliorum.* Et quod graviùs te adhuc premit. *Ideò* (addit) *hoc ſpecialiter de apoſtaſia deciſum eſt, non tamen dictum eſt, quòd pro ſola apoſtaſia, pœna hæc incurratur; nec locus ab authoritate negativè validus eſt.* Vin' Concluſionem? *Ideò ex parte ſententiæ eccleſiæ, nihil eſt ſpeciale in apoſtaſia, quod non eſt in excõmunicatione propter alia crimina.* Tœdet ex *Banneſio* (quẽ magni facit tuus Valentianus,) & alijs, eadem repetere. Sed tibi epiſtolis partim ab Anglia, partim à *Gallia* lectitandis occupato; non vacavit *Thomam* penitrantiùs inſpicere, aut interpretes conſulere. In Thom. ib.

8 Sequitur ſecundum in *Angelicum* depravando *Doctorem*, *Caſauboni mendacium.* *Non ante docet* (inquis) *Thomas, excommunicatũ propter apoſtaſiã, iure Dominij cadere, quàm per ſententiã denuncietur excõmunicatus.* Nec dixerit *Caſaubonus, Thomam hoc docere*; redeat igitur *mendacium* ad ſuum genitorem. Et ſic actum eſt de *Thoma.* Quanquam *fraudem hoc continere aſſerit Caſaubonus, in excommunicato Rege. Expreſſam ſententiam neceſſariam eſſe, vt nocere illi quiſquam iure queat. Quia hoc eò pertinet, vt horribilis doctrina veſtra, invidia minuatur, & ſereniſſimi Regis fidi conſiliarij, reddantur omiſſionet.* Vnde duo manifeſtè includit. Pag. 152.

dit. Alterum vestros asserere, requiri *excõmunicationis sententiam*, vt quis *iure Dominij* caderet: alterum, hoc fine tantùm asserere, non quòd pensi habent, vtrum ante vel post prolatam sententiam, princeps adversarius amoveatur, sed ad dogmatis torvitatẽ, isto minio cerussandam. Et latebras has tandem invenerit *scholasticum* tuũ ingenium, vt qui dicit indefinitè, sed fraudulentèr vos asserere. *Sententiã esse necessariam*, vt *excommunicatus luat*, depravabit classicum tuum *Thomam*, quem ponit tamen tua scholastictas, idem asserere? Sed hìc etiam, vt anteà, *scholasticum* nostrum *Græcum*, destituunt *Latini* doctores. *Si crimen hæresis sive apostasiæ, à fide, ita sit notoriũ, vt nullâ possit tergiversatione celari, etiam ante iudicis sentẽtiam, incurritur ex parte, prædicta pœna; nimirùm eatenùs subditi quidem licitè possint negare obsequium domino hæretico, aut apostatæ à fide, non tamen ita, vt etiam teneantur, id ei negare.* Vbi supra. *Ita docent Caietanus, & Bannes. Hactenùs tuus Gregorius de Valentia.* Vbi *Panormitanum*, & *Felinum*, hac ex parte probat; qui, cùm constet de crimine, non ferunt moram pronunciandæ sententiæ. Concinnus verò est hac ex parte *Bãnes*, *sufficit* (inquit) *exhibitiva Papæ voluntas*. Ergo ante *prolatam sententiam*, de *notorio* aliquo *hæretico*, potest populus rebellare si libuerit, non autem tenetur, si placeat esse miserieors, vel si *vires* (vt habet *Thomas*) non suppetant. Annon multum suis conterraneis debet prin-

princeps hæreticus? & prudentèr inſtituuntur *Catholici à magiſtris noſtris ſcholaſticis?* Non tenentur, nec debent principibus ſuis nocere, quãdo non poſſunt nocere, nec oportet *ferro, veneno*, pulvere ſulphureo, illos è medio tollere, quando providè intercipiuntur, vt non poſſint tollere. At haud vlteriùs beant, reformatos principes *Papolatræ ſubditi*; *Angli* (inquit *Bannes*) *& Saxones*, obſequentes vivunt ſub hæreticis, *quia communiter non habent facultatem ad bella gerenda contra principes.* In 2.2.q 12. at.2.

Eccè, ex tot ambagibus, quæ emergit Concluſio: quàm juſtè *Recuſantes* de *mulcta* & *Seminariſta* de Capiſtro, & legibus, in *Papiſtas* ſeverioribus, apud nos conqueruntur? Tantùm ô Rex (inquiunt) petimus, vt condonatâ mulctâ liberiùs aliquantò vivamus, equos comparemus, arma expediamus, quæ nolimus bonâ fide (tametſi jure poſſumus) in te convertere, priuſquam vires ſuppetant, quod vt tantò fiet celeriùs, liberè hinc inde vagentur Sacerdotibus perniciosiores *Ieſuitæ*, vt quot proſelytos faciunt, tot proſilientes in te habeas, quæ *exhibitivam* Pontificis exequantur *poteſtatem*. Sic ſi nos inſtituat *Doctor Angelicus*, des rudioribus (quæſo) veniam, vt ſubitò, non iſta arripiamus. *Garnetus* autem quid apportat ſapidius, in ſequente capite reſtat tantùm vt diſpiciamus.

CAP. 8.

Cap. 8.

De Doctrina Garneti.

Pag. 160. VT *potuisses tu hunc locum silentio praeterire*, vtpote in *Apologia* & *Anticotono* prolixè à te tractatum : ita potuissem ego ad reverendum *Abbottum*, lectorem remittere vt illic *Marsyam* ab *Apolline* excoriatum, rursùs intueretur. Sed quoniam te delectant tuæ relectiones, notulas quasi nostras accipies ad marginem; nec enim par est, vt tam gravis author, in *profunditatibus* suis *scholasticis*, transiret sine commentario. Tria tantùm sunt, quæ repetere libuerit, de *Insontibus interficiendis*, de *Æquivocatione*, & sigillo *Confessionis*. Ac de primo cum queratur *Casaubonus*, *Antichristianam esse doctrinam, & planè Satanicam, insontes statuere, vnà cum sontibus, è medio posse tolli; dummodò illud cedat magno alicui bono Catholicis*: respondes tu, *per se hoc quidem mortali non licere, insontem aliquè necare*; *sed per accidens, & præter intentionẽ, tũ demùm licere*, cùm *magno aliquo eius qui occidit, vel commodo cõpensatur, vel nî fiat, in commodo luitur*. Ita loquuntur ij, qui *commodo singula* metiuntur, &

Antil. c. 4.

Pag. 161.

in

in tenebris ſe abſcõdũt generalitatũ, vt ad nefaria ſua facinora ſemper pateat diverticulũ. Sed diſtinguendũ hic docet Doctiſſimus *Abbottus*, inter *res publicas, & privatas*, deinde inter *agẽtia voluntaria, & neceſſaria*, de quibus qui cõfuſè aliquid pronuntiat, lucem tenebris miſcet, & veritati mendacium. Quis enim neſcit, *in Iure publico fas eſſe poſſe*, quod nefas *eſt in privato; & licere plerunq; in neceſſariis, quod in volũtarijs non licet*? Voluntariò ſi *prægnans fœmina* fœtum interficeret, dum *taurum incitatũ* temerè operiat; aut *Sclopetarius* eo animo *bõbardam* exploderet, vt innocentes *triremes transfigeret*, quis hunc, vel illam homicidij nõ argueret? At dum fœmina fugiendo, infantem invitò perimit, vt propriæ ſaluti conſulat; milites hoſtes perſequendo, vt rempublicam tueantur, amicos quoſdã neceſſariò, eâdẽ clade involvunt: accommodare tam diverſa ad *Garneti*, & *proditorum* patrocinium, quos nulla impulit neceſſitas, omnia jura divina, & humana, à tantâ ſceleris atrocitate, penitùs abſterruerunt; *Scholaſtici* videtur eſſe ſeverioris cuiuſdam diſciplinæ, qui vt *Draco leges*, ita ſanguine placita conſcriberet, niſi fortè Papicolis talis incumbat neceſſitas, vt

Flectere eum nequeant ſuperos, Acheronta moverent,

& exploſis argumentis, ad *Sulphurea* ſe conferrent ſtratagemata. Tu interim (mi *Andrea*) vix inſpexiſſe videris, quos in *Apologia* tua turma-

Antil pag. 61

Apolog.pro Garnet pag 105.

matim ad partes tuas, advocasti *scholasticos*; nec enim ij tam præcipitanter asserunt, *licere per accidens, & præter intentionem agentis*, innocentes occidere, sine limitatione vlteriori. Quinimò necessitatis casum, quem nos exigimus, expresse requirunt, aut necessariò suppo-

Relect. Tom. 1. de Iur. Belli num. 37.

nunt, vel includunt. Verba sunt *Franciſci à Victoria, Nunquam videtur licitum interficere innocentes, etiam per accidens, & præter intentionem; nisi quando bellum iustum expediri, & geri aliter non potest.* Confirmat ex *Mat.* 13. *Sinite zizania crescere vsque ad messem, ne forte eradicetur triticum.* Vnde postea, *non vult hostium pueros interfici, ne in posterum noceant; quia non*

Ibid. 38.

sunt (inquit) *facienda mala, vt vitentur maiora mala.* Nec dissentiunt *Sylvester, Bannes, Petrus de Aragone, Michael Salon, Navarrus, Cordub a, Soto, Sayrus, Molina, Covarruvias, & Greg. de Valentia*, si sentiant, vt videtur loqui. Notũ est illud *Aristotelis* de *monstris*, quæ insciuntur præter intentionem agentis, in *physicis*; & de *actionibus mistis*, in *Ethicis*; in quibus, non tã *agens* agit, quàm agitur. Vnde ex ignoratione causarum, vel casui aut fortunæ effectus attribuitur, aut in peccatis, saltèm non numeratur. Quia *peccatum* (si sit actuale,) *debet esse voluntarium*, vt cum *Aristotele* docet *B. Augustinus*. At cum frequentèr vsui veniat, vt periclitanti reipublicæ, ita succurrendum sit necessariò, vt manifestum indè periculum privatis qui busdã obveniat; hìc quomodo se gerat Christianus?

ſtianus? Num faciat *malum*, vt *bonum* inde eveniat? nequaquam. Sed è duobus malis, minimum admittit, ſervat quantum poteſt rempublicam, dolet quòd hoc cõjunctum ſit cum innocentis diſcrimine. At interim annon innocentem tollit? Tollit reverà, ſed non vt propriè, agens, neq; enim illud voluit, non tentavit, quantum poteſt abhorret à tali immanitate; ſed vt inſtrumentum quoddam involuntarium, quod medium potiùs dicatur quã cauſa. Factum verò *connexum* ſit veriùs actionis quàm *effectum*. Nec duriùs aliquid ſtatuere audent tui ſcholaſtici; quos tu nominas tantùm, non expendis, audias *Auguſtinum*. *Furioſa eſt ſententia*; *Pereant amici, dùm inimici vnà intercidant*. Sunt quædam (inquit *Ariſtoteles*) *ad quæ forſitan non licet quenquam eſſe compulſum, ſed potiùs oportet ſumma perpeſſum tormenta, mortem obire*. At quę neceſſitas cõpulit tuos incendiarios, ad ſcelus iſtud *Pulverarium*? Quæ latebra excuſet à meditata in ſuos Catholicos internecione? Annon hæſitat *Catesbeius*, Determinet *Garnetus*, *fieri poteſt per conſcientiã, fas eſt ad Catholicorum cauſam promovẽdam*? Quid ſtatuiſſet hic in hoſtes, qui ità furit in ſuos? Malebat *Auguſtus*, *Herodis* eſſe *porcus quàm filius*; & ſi iſta obtineat feritas, tutior eſſet à ſuis, canis quàm Catholicus. Sed nos *neſcimus quicquã, nec cogitamus, quia expedit vobis, vt aliqui moriantur pro populo, nec tota gens pereat*.

Cont. 2. ſũ Manich. l. 2. c. 16.

Lib. 3. Eth. cap. 1.

Act. pag. 27.

Macrob. Saturn. l. 2. c. 4.

Ioh. 11.

Pag. 136. 2 At *Casaubonus* (inquis) laudat *Silanianum senatusconsultum quo æquè sontes insontésque servi rapiebantur ad necem:* ergo probat quod in *Garneto* reprehendit, ad *Catesbeium*, Consilium. 'Quo longiùs tecum progredior; eò magis hebescere sentio *scholasticum* tuum *acumen*. Quis enim *Metaphysicis*, & *formalitatibus* assuetus, nō primo ictu aspiceret, hæc toto velu.i cœlo discrepare. *Silanianum* decretum erat à Dominis in servos, ob salutem totius reipublicæ; *Garneti* placitum, à servis erat in Dominos, in totius reipublicæ perniciem. Deinde *Romanis* erat tunc temporis potestas vitæ & necis in suos servos: sed talem hi non vendicant, de quibus agitur in præsenti negotio. Nec omittendum posteà est illud; supponit *Silanianum decretum*, servos omnes sub tecto heri occisi, eiusdem cōsilij conscios, & proindè non innoxios. At vestra quæstio est de *insontibus occidendis*, vbi talis omninò excluditur excusatio. Vltimò promulgatum erat *Silanianum Senatusconsultum*, in innocentium terrorem, ne cum conservis suis conspirarent, aut conspirantes celarent, sed vt inquirerent in eorum machinas, ne Dominis nocerent. At de insontibus hisce vestris, 'nullus erat metus, nullum periculum ne acerbius aliquid in vos statuerent; quinimò spes erat, vt quantum potuissent commódis vestris prospicerent. Sed cōmodum nescio quod aliud *Garnetus* respicit, de discrimine paucorum vtcunque

que *nobilium*, quia tamen *laicorum*, parùm eſt ſolicitus. Quanquam *Silanianum Senatuſconſultum* eò vſque tantùm probat *Caſaubonus*, quatenùs ex duobus incommodis, ſeruorum ſcilicet periculo, aut dominorum, minimum erat electum, vt maius averteretur. Agnoſcit enim *in facto aliquid iniqui*; fatetur hic implicari, *privatorum paucorum iniuriam*. At poſitio veſtra eſt generalis, ſic vt pro arbitrio inſons tollatur, *modò per accidens illud fiat, & publica vtilitate compenſetur*. *Humanæ* ſcilicet vitæ, *& reipublicæ neceſſarium eſt pronunciatum*, vt cũ iurata Antichriſti *mancipia*, internecionem patriæ molientia, vaſtitatis flammas incenderent; obſtaculo non eſſent tot noti, vel ipſorum cõſcientiâ *innocẽtes*. Salva etenim res erit, & iuſta excuſatio, *per accidens hoc factum fuiſſe*, & præter agentis ſcopum; juxta illud Phyſicorum placitum, *Natura non intendit, ſed producit mõſtrum*. Maluêre tamen (ni fallor) miſeri veſtri diſcipuli, deſtinati tam prodigioſè ad Martyrium, vivere quamdiù poſſint *per ſe*, quàm in *ſcholaſtico* veſtro *pulvere*, ſic perire *per accidẽs*. Pag. 164.

3 Immanitatem in factis, excipit in dictis *æquivocatio*, quam tertiò jam repoſitam in hoc libro, habemus cramben; tranſlatam nihilominùs à 2. cap. præclarę iſtius pro *Garneto* apologiæ, ad quam lectorem ablegas. Mihi ſufficeret reſpõdiſſe, extare cuiuſdam *Antilogiam*, qui *Cæcum* iſtum veſtrum Cap. 2.

---*In tenebris incendia vana vomentem* Virg.

Corripit in nodũ complexus, & angit inhærẽs Illisos oculos.

Scripturas, quas detorques, dilucidè retorsit in tuum jugulum; *Patres*, quos prensteras, advocatos, depulsâ fucorum caligine acerrimè te redarguentes introduxit. Iugulasset hoc anteà *monstrum*, vt perspicacissimi, ita *moderatissimi vir ingenij Mortonus* noster (sicut verissimè habet *Casaubonus*.) Tu *aptiorem illum* asseris ad *asinum* aut *suem iugulandum*. Si intelligas cum *Benedicto* vestro *Balaami asinam*, nempe *Ecclesiã Romanam*, cui *Pontifex* insidet, vt falsus ille propheta; vel *suem*, quæ ad *volutabrum reversa, vineam Domini* depopulatur, haud gravatè quod vis largiamur. *Surgat*, & *occidat*, sicut incepit fortis ille Dei Athleta; modò non *mãducet*, quos occiderit, quod de *Venetis* suasit Papæ, *ἀνδροφόνος* quidam *Cardinalis*. At *argumentum ipsius* non placet, quo in *satisfactione plenaria*, *Æquivocationem* iugulare satagit. Cur? constat siquidem *non minus sex terminis*, & *festivè* à *Parsonio* in confutatione eliditur. Verùm si vel festiva *Parsonij*, vel *falsa* tua *paternitas*, distinguere didicisset, inter *terminos necessarios*, & *explicatorios*, *syllogismum*, & *prosyllogismum*, *argumentationem simplicem*, & *complicatam*, nec tu, tam insulsè quod nescis, reprehendisses; nec lepidum *Parsonij* capitulũ, tam ridiculum se *sophistis* exposuisset spectaculum. Consulas quæso *Fonsecam* tuum. *Si in argumentatione* (inquit) *aliqua, quæ primo aspectu*

In satisfact. plenar. part. 3. memb. 2.

In concord. Biblior. verbo Asina.

Instit dialect lib. 6. cap. 10.

ctu vnus ſyllogiſmus videatur, fuerint plures, quàm duæ propoſitiones, aut certe plures quàm tres termini; eiuſmodi argumentatio, non erit reuera vnus ſyllogiſmus, ſed plures complicati; aut diuerſa argumentationum genera permiſta. Annon vides, quam expedita ſit *Mortouo* vel ex præceptore tuo reſponſio? *ſyllogiſmus* eſt *complicatus*, ſiue ex *diuerſis generibus permiſta argumentatio*, quæ non ſex tantùm, ſed plures admittat terminos. Reſolvenda igitur erat, priùs quàm reijcienda. At Ieſuitæ verſatiores videntur in *regnorum*, quam *ſyllogiſmorũ Analiticis*.

4 Sed quoniam in *dialecticis* ita mirificè tibi places, vt nihil proferatur, nil concludatur, quod captiones tuas effugiat; agè verò, quum exterminata ſit *Æquiuocatio* è *Theologiæ* finibus, ſiſtatur ſi placeat, ad *logicorum* tribunal, forſitan hinc inveniet ſubſidium, vnde primò originem duxiſſe videatur. Et vt à nomine ordiamur. Cum inter *diuiſionem*, *diſtinctionem*, & non *identitatem*, tam accuratè diſtinguant *magiſtri*; vt omnis *diuiſio* ſit *diſtinctio*, omnis *diſtinctio* non *identitas*, ſed non è contrà: quia *non identitas* eſt inter *Socratem* & *Chimeram*, ſed non *diſtinctio*, quæ ſolummodò fundatur in *terminis poſitivis*, *diſtinctio* etiam eſt inter ſpiritualia, vbi nulla eſt *diuiſio*, quia *diuiſio* tantùm *ſequitur materiam*. Cúmq; tã familiaria ſint illis, ſeptem iſta diſtinctionum genera, de quibus tam profunda tradunt *Formaliſtæ*, *diſtinctio rationis*, *diſtinctio ex natura* Tromb. tract formalitat. Anton. Sirect formal. art. 2.

rei, distinctio formalis, distinctio realis, distinctio essentialis, distinctio se totis subiectivè, & distinctio se totis obiectivè: Mirum mihi videtur inter *Æquivocationem* & *Amphibologiam*, non observatam esse à te distinctionem. At *ipsum* (inquis) *æquivocationis nomen perspicuè indicat orationis ambiguitatem*. Si perspicuè indicet *orationis ambiguitatem*, quodnam discrimen inter illam & *Amphiboliam* statues? quomodo constabit numerus senarius *fallaciarum in dictione*? quomodò non erret *Aristoteles*, qui captiones istas seu fallacias, vel ex tuorum Interpretatione tã accuratè discriminat? *Amphibolia* (vt recte tradunt *Conimbricenses*) *nascitur ex multiplici significatione orationis, sicut prior* (scilicet *fallacia æquivocationis*) *ex significatione simplicis vocis*. Nec aliter *Fonseca*, & alij, *Æquivocatio est in vocabulo, Amphibolia in oratione*, hęc *Etymologiam* illa *syntaxin respicit*. Vt *grammaticus* vix videretur, qui huiusmodi tuo more in re tam implicata promiscuè vsurparet. Quòd si *species* pro *genere* synecdochicõs esset arripienda, cur non potiùs *Amphibolia* substitueretur pro *æquivocatione*, quàm *æquivocatio* cõprehenderet *amphiboliam*? præsertim cum lis sit, non de vocis vnius *æquivocatione*, sed propositionis *amphibologia*. Verùm hujusmodi Sophistarum minutias, magistri nostri *pro imperio* transiliunt. *Æquivocatio* autem ab illis sic extenditur, vt non *tantùm simplicis vocabuli ambiguitatem*, sed sententiæ complectatur amphi-

Pag. 166.

In Elenchos q. 1. art. 3.

Instit. Dial. l. 8. c. 4. & 5.

phibologiam. *Ita enim pius iſte in patriam Parſonius, Æquivocatio* (inquit) *eſt duplex, verbalis & mentalis*: conſtat de *verbali*; *mentalem* vult eſſe *huiuſmodi, non quæ originem ducit ex* Tract. adm. investigat. c. 12 § 3 Abbot. Antil. cap. 2.

orationis compoſitione, ſed tantummodò ex reſervatione aliqua in mente loquentis, per quã differt intentio eius, à ſenſu illo quem verba enũtiata præ ſe ferunt; quemq́, abſq́, illa reſervatione expreſſum habent. Tibi verò *Æquivocatio eſt, cum quis ita loquatur, vt quamvis ſententiam eam verbis ſubijciat, quam ſignificare poſſint habitâ ratione loci, temporis, ac perſonarum: tamen non dubitet fore, vt ab auditoribus aliter intelligantur, quæ dicit, eoq́, ſeipſi induant in fraudem.* Pag. 107.

Hanc eandem eſſe cum *politica conſiliorũ diſſimulatione*, quam probat & laudat *Caſaubonus*, oſtendis poſteà. Cujus ſcopũ innuens, *hac* (inquis) *ſit, vt cùm tu alia ratione verba vſurpes, quàm quâ vſurpari putat is, quicum loqueris; & tu vera dicas; neq́, ille intelligat quæ dicuntur.* Pag. 166.

Vbi igitur hìc *mentalis reſervatio*? Excluditur penitùs per tuam definitionem, cùm *æquivocatio* tua omnia eloquatur, omnia proferat; ſic vt ambiguitas tantùm lateat in verborum *ſignificatione*, non conceptus reſervatione. Atque hanc æquivocandi formulam, quam aliquo modo licitam, cum [a] *Sepulveda*, [b] *Azorio*, [c] *Sa*, & [d] *Maldonato*, non negaret *Caſaubonus*, vbi clamoſè ſatis bis anteà inculcaſſes, tandem, pag. 170. *mentalis* hujus *reſervationis* obſcura eſt mentio. Quam adeò vete-

[a] De Ration. dicẽd teſtim.
[b] Iuſt. Moral. part. 1. lib. 11. cap. 4
[c] In Aphoriſ.
[d] Comment. in Luc. vlt. ver. 28.

ratorie delineas, vt *Parsonianum* superius cõmentum, & mutasse videris, & nõ mutasse, æquiùs loquutum esse, & periculosiùs, imò *æquivocasse*, in descriptione *æquivocationis*: & in mente aliquid sophisticè reservasse, dum cuderes nobis novam *mentalem reservationẽ*.

Pag. 170. Verba tua recognoscas. *Hæc demùm est* (inquis) *mentalis illa reservatio, quam tantis calumnijs exagitant adversarij: cùm circumstantia aliqua variare significationem verborum potest, ad quam respiciens is qui loquitur, ad eam orationis suæ significationem accommodat; quã quia aut ignorat, aut ad eam non reflectit animum auditor, longè aliam significationem, verborum eorum esse putat, quam, qua verè est. vbi error est in auditore, non in oratione mendacium. Nam de qua re loquitur, vera dicit: sed quia proderè cogitationes, ac sensum omnes animi sui nullo iure cogitur, qua de re loquatur non indicat.* Hæc est secunda *mentalis Reservationis* editio, quæ *permissu* jam prodit *Superiorũ*, auctior & emendatior; prior ista *non dependet à verborum significatione, aut orationis compositione*, vt habemus à *Parsonio*, exigit hæc poste-

169. rior, *vt verba quæ adhibentur id significare possint, ad quod significandum adhibentur*. Annon hic pulcher consensus? Si *æquivocatio* tua in verbis expressis lateat, quomodò non est *verbalis*? Sin *verbalis* sit, quare appellatur *mentalis reservatio*? Nisi fortè tibi idem sic tacere & loqui; & æquivocatio *mentalis*, & *verbalis* quas distinguunt tui symmystæ, tuâ subtiliori

in-

indagine reperiantur coincidere. Sed *circumſtantiæ* (inquies) & *conditiones* nonnullæ occultantur, non verę propoſitionis partes neceſſariæ. Intelligo. Cacodæmona *Eudæmon* corrigit; proponitur textus, ſed in mẽte reſervatur commentarius. Duplex igitur jam tandẽ emerſit *Mentalis reſervatio*, prior ſubſtantiæ, poſterior *circumſtantiæ*, hęc membri, illa *conditionis* alicujus myſticè miſtæ propoſitionis; vbi non peccat interrogatus, quia non omnia profert, ſed errat interrogans, qui non prolata non intelligit. Harioli oportet vt ſint, & *Actio Navio* ſagaciores, qui vobiſcum rem habeant. Subtilia videntur iſta in *Dorbelliſtarũ exhedris.* [a] *Deum trinum & vnum, Cognovit Ariſtoteles ſed Ariſtoteles non cognovit Deum trinum & vnum. Natura non intendit monſtrum, ſed mõſtrum intẽdit natura. Venientem cognoſco, licet non cognoſco venientẽ*, et ſimilia. Tu acutior, in Æquivocantis patrocinio. *Nam de qua re loquitur* (inquis) vera dicit; *ſed, qua de re loquatur non indicat.* Ergóne *circumſtantiæ* & *conditiones* tuæ ſunt res omnes, nõ de quibus loquimur, ſed de quibus loqui poſſimus? O ſingulare ſeu potiùs ſalutare inventum! quo rectè intellecto non perjurus, aut mendax erit quiſpiam in poſterum, niſi caudex penitùs ſit & ſtipes, cui nõ occurrit *qua de re loquatur*. Nam quid tam impium, aut mendax enuntiari poteſt, quod præſtare aliquis non valeat, ſi liceat ſic attexere, quodcunq; tacitâ mentis cogitatione complectatur?

[a] Nicol. de Orbellis log. brevis Trac. 7. de Appell.

tur? Iurare potest ebrius, se nihil omninò bibisse; dum cogitet de *poetarum nectare*, & hęc esset *defensio poetica*. Iuraret meretrix, se intactam penitùs esse, à *tauro* putet vt *Pisiphae*, vel à *Cygno*, vt *Leda*, & hæc esset *poeticohistorica*. Quid si tu iurares *Garnetum* nunquam fuisse in *Anglia*? annon respicere possis hāc tacitam, ex Dialectica tua, *circumstantiam*, *vt genus in specie*, *vel vt rex in regno*? Sic *Papa* obtinet in reges *suprematum*, *voto*, intelligo, non *iure*. *Eudæmon* nunquam mentitur, forsitan dormiens aut tacens, aut nihil omninò scribens. Occurrunt infinita tergiversandi diverticula, si aperta sic liceat mendacia, ex occultis glossis pro arbitratu resarcire. At non sic imponere possint cordatis *conditiones* tuæ sophisticæ, & mysticæ *circūstātiæ*. Pūctiùs igitur vt te petā.

5 Convenit inter nos primò, *nullam vnquam ob causam mendacio esse vtendum*. Pag. 169. Augustin lib de mend. cap 4. Convenit secundò, *Enuntiationem falsi cum voluntate fallendi manifestum esse mendacium*. Convenit tertiò, *innaturale esse & indebitum*, *cùm aliquis voce significet*, *id quod non habet in mente*. Thom. 2.2. q. 110. ar. 3. Convenit quartò, figuratas loquutiones, quæ vsurpantur, vel ornatus, vel fastidij evitādi causā, per *Synecdochen*, *Lsptoten*, aut *Apostiopesin*, non tantùm licitas esse, sed frequentèr laudabiles. Nec quintò dissentimus de *limitationibus*, quas fœpiùs in præceptis artium subaudiendas relinquimus. Verbi gratiā, *universalia sunt semper & vbiq*, intellige, in *suis sin-*

singularibus. Nec displicet sextò, *Conimbricẽsium* discrimẽ, inter *veram* & *veracem*, *falsam* & *mendacem* propositionem, cùm veritas & falsitas ad *res*, veracitas & mendacium, ad *cõceptus* ordinentur. Convenit vltimò, *aliud esse mentiri, aliud verum occultare*; cũ hoc sit omninò prohibitum, illud multoties necessariũ. Aug. enarrat. in Psal 5.

In hoc igitur volvitur cardo controversiæ, *Vtrum ferenda sit talis Æquivocatio vel Amphibologia, quâ reservatur in mente limitatio, conditio, vel circumstantia, ad auditorem fallendum; cuius prolatione, vel additione, propositio, vel responsio, quæ intelligibili loquendi modo, ex presse est falsa, veritatem tacitò obtineat*. Complector hìc, tam crassiorem *Parsonij*, quàm limatiorem tuam *æquivocandi* latebram. *Requiris tu, vt verba quibus vtimur, eam sententiam significare possint quam ijs subijcimus, cùm æquivocamus*, quod animadvertit *Parsonius*, ad rationes vestras parùm conducere. Nam cùm oculatiores soleant elicere, quid *subiecta verba possint significare*, annon periculosa esset & inutilis tam ridicula tergiversatio, quæ apud fungos tantùm valeret, qui nesciunt quid ex quo sequatur? Proponit igitur iste veterator falsum, quod posteà sic exponit, vt sicut *mentalis* tua *reseruatio*, interpretabitur obscuram; ita illius quasi mancam supplebit sententiam. Vtrinq; autem cùm recurratur ad *mixtam propositionem*, ex dictis & dicendis, verbis & conceptibus, oratione & speculatione; nõ tãtùm Pag. 169.